8

DISSERTATIO IVRIDICA
DE

IMPVTATIONE CVLPAE PROPRIAE,

QVAM
IN HAC ALMA SALANA
SVB PRAESIDIO
DOMINI
CHRISTIANI WILDVOGELII
ICTI FAMIGERATISSIMI, SERENISSIMORVM DVCVM SAXO-VINARIENSIVM CONSILIARII AVLICI, ANTECESSORIS IN HAC SALANA CELEBERRIMI, CVRIAE PROVINCIALIS ET SCABINATVS ASSESSORIS
GRAVISSIMI
DOMINI PATRONI SVI AETERNVM DEVENERANDI
PVBLICE EXCVTIENDAM PROPONIT
D. IV. SEPT. ANNO MDCXCV.

AVCTOR
IVSTVS HENNINGVS BOEHMER,
HANNOVER.



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

IENAE
REC. LITTERIS IO. BERNH. HELLERI, 1740.

Digitized by Google

Digitized by Google

I. N. D. N. I. C.

CAPVT I.

CONTINENS GENERALIA AD

IMPVTATIONEM CVLPAE PROPRIAE SPECTANTIA.

§. I.

Recepta hactenus in Scholis JCtorum haud inepta methodo, ut etiam in præſentiarum utamur, neve illotis, ut ita dicam, manibus protinus materiam interpretationis tractemus *l. 1. ff. de O. J.* auſpicamur noſtram diſſertationem ab evolutione ſingulorum in Rubrica occurrentium vocabulorum; cum, ipſo fatente Ulpiano in *l. 1. ff. de Reb. cred.* è re ſit, priusquam ad interpretationem verborum perveniamus, pauca de ſignificatione ipſius tituli referre. Nam

Digitized by Google

iſtæ præfationes & libentius nos ad lectionem propoſitæ materiæ producunt, & evidentiorem præſtant intellectum *l. 1. ff. de O. J.*

§. II. Explicandæ vero voces in titulo hujus diſſertationis occurrunt maxime tres: de quibus ſigillatim pauca annotabimus. IMPVTATIONIS ergo vocabulum quod attinet, derivant illud, qui curatius in natales vocum inquirunt, ab *imputare*, idque à præpoſitione adauctiva quandoque in compoſitione *In* & *putare*, quod verbum in hortis urſurpari ſolet; unde & in §. 5. *J. de L. Aquil.* vox PVTATOR occurrit. conf. Diſſ. ſub Ill. Dn. Stryck. *de Imputat. facti alieni* habita *c. 1. num. 5. & ſeqq.* ut ita proprie denotet Imputatio *Inſitionem, qua ſurculi plantæ imputantur.* Flacius *p. 1. Clav. Script.* ſub voce *Imputare p. 413.* Poſt vero per quandam translationem, etiam moralibus applicari cœpit, ut hoc ſenſu morali idem ſit: ac *adſcribere, attribuere, adſignare.* vid. *l. 18. §. 1. ff. quemad. ſerv. amitt. l. 73. §. 1. ff. pro ſoc.* Unde porro liquido patet, quod in noſtra Rubrica IMPVTARE idem ſit; ac *Culpam autori ſuo tribuere*, vel adſcribere, in quo ſenſu hæc vox in jure noſtro ubivis obvia eſt. Inter infinitos textus ut paucos ſaltim hic adducamus, conſtat ex § 9 *J. de ſoc.* quod ibi Imperator expreſſe dicat: eum, qui parum diligentem ſocium ſibi aſſumit, de ſe queri, ſibique hoc IMPVTARE debere, & §. 4. *J. de Fidejuſſ.* ibi: & ſibi IMPVTARE debet, & §. 3 *J quib. mod. re. contr. Obl.* ibi: ſuæ facilitati id IMPVTARE debet. Idem & veteres JCti teſtantur. Sic Ulp. in *l. 1. §. 1. ff. ſi menſ. falſ. mod. dix.* ait: ſi imperite verſatus, ſibi IMPVTARE debet, & in *l. 1. §. 17. ff. de ſeparat* ibi: ſibi debeat IMPVTARE ſuam facilitatem, & in *l. 7. §. 5. ff. ad exhib.* ibi: quamvis ſit,

quod

Digitized by Google

quod ei IMPUTETUR, *&c.* & infinitum foret, omnes recenſere textus. Illud ſaltim adhuc annectimus, quod in jure noſtro ſæpe verbo IMPUTARE conjungatur alterum Synonymum: *Quieri*, uti patet ex jam adducto §. 9. *J. de ſoc.* ſeparatim autem in *l. 15. ff. de per. & comm. rei vend. & l. 72. ff. pro ſoc.*

§. III. Altera vox noſtri tituli eſt CULPA, quam hic magis ſtrictiori ſenſu accipimus: generaliter enim accepta dolum & Culpam in ſpecie complectitur; nam qui dolo facit, utique in Culpa eſt. Strauch. in *diſſ. Juſt. differt. 19. Aph. 1.* quo ſenſu à Feudiſtis Culpa dicitur FELONIA à germanica voce Fehlen/Fehl begehen/ h. e. errare, delinquere. B. Dn. Struv. *Synt. J. Feud. c. 15. aph. 8.* & Schütz. *colleg. juris Feud. c. 12. non multum à princ.* Strictiori ergo ſenſu Culpa diligentiæ opponitur, quæ, ut ex natura qualitatis conſtat, admittit magis & minus; ita etiam ipſa omiſſio diligentiæ ſeu Culpa eosdem agnoſcit gradus. Hinc in *l. 226. ff. de V. S.* dicitur *Negligentia*, quæ opponitur diligentiæ, it. *Incuria* in *l. 64. pr. de Evict.* It. *Imprudentia l. 11. C. de pact. conv.* Germ. Fahrläſſigkeit/ Unachtſamkeit/ Nachläſſigkeit. B D. Struv. *Ex. 19. th. 15.* Neutiquam propterea cum dolo confundi debet Culpa; differunt enim ſenſu hoc ſtrictiori formaliter: videlicet, dolus ſemper eſt ex proæreſi & voluntate nocendi, ſeu ex propoſito *l. 11. §. 2. de pæn.* Culpa autem non niſi ex ignorantia, & omiſſione diligentiæ. Sebaſt. Almers in voc. *Dolus* §. 10. Dolus ſemper præſtatur, Culpa autem non; unde pactum de non præſtando dolo dicitur nullum *l. 23. ff. de R. I.* Quando vero convenire in LL. dolus & Culpa lata dicuntur, id non capiendum *formaliter*, ſed *effective*: & ſic jam intelligenda *l. 226. ff. de V. S.* ubi

Digitized by Google

dicitur, quod magna Culpa dolus ſit, i. e. quoad *effectum*, quæ convenientia in Contractibus maxime locum habet. De reliquis enim difficile eſt, tradere regulam, cum in plurimis non obtineat, ut in cauſis famoſis §. *6. J. de ſuſp. Tut.* ad quem conf. Ill. Dn. Lynck. Præceptor ac Patronus meus æternum devenerandus *in Anal.* & rerum vindicationibus Id. *in Anal. ad ff. de rei vind.* §. *12.* Unde Culpam latam dolumque toties convenire arbitramur, quoties id legibus expreſſum.

§. IV. Culpa ergo imputari poteſt, non vero caſus fortuitus *l. 23. de R. I.* cum hic non ſit in noſtra poteſtate, & ſic nec prævideri aut præcaveri poſſit. Elegans hac de re eſt *l. 6.* §. 7 *ff. de offic. præſ.* ubi diſerte habetur, quod Medico EVENTVS MORTALITATIS IMPVTARI non debeat. Quodſi tamen Culpa quædam Caſum anteceſſerit, tunc non imputatur caſus, ſed culpa, quam incurrit. *l. 5. & 4. commod.* Idem aſſerendum, ſi mora caſum præceſſerit. *c. un. X. de commod.* B. Dn. Struv. *Ex. 19. th. 14.*

§. V. Cum vero indoles Culpæ ſatis ſufficienter ab aliis ſit excuſſa, & diviſio ejus in latam, levem & leviſſimam ubique fere occurrat. B. Dn. Struv. *Ex. 19. th. 17. & ſeqq.* neque etiam facile hic expendi poſſit, cum generatim ſaltim Culpam h. e. quamvis negligentiam attingamus, huic labori ſatis operoſo libenter ſuperſedebimus, & B L. ad illos remittemus, qui peculiari ſtudium huic materiæ dicarunt.

§. VI. Diximus denique, nos hic excuſſuros *Imputationem Culpæ* PROPRIAE, ubi ſtatim prima fronte apparet, quid intelligatur per Culpam *propriam*. Scilicet, adjecimus hoc Epitheton culpæ, ut indigitemus, quem-

quemlibet ex Culpa propria teneri, cum Culpa unius alteri imputari aut nocere non poſſit *l. 22. de Neg. geſt. l. 27. in f. ff. eod. l. 33. §. 1. C. de inoff. Teſt.* quomodo enim factum ſeu culpa alterius illi nocere deberet, qui nihil fecit? *l. 5. §. 5. ff. de Nov. oper. Nunc.* quod & juri Naturali conveniens eſſe docet H. Grot. *de J. B. ac P. L. 3. c. 2. §. 1. n. 1.* & ipſum jus divinum variis in locis confirmat. *Deut. XXIV. 16. Ezech. XVIII. 20.* Ideoque non ſine ratione diſpoſitum in jure Feudali legimus, remotiori agnato non nocere propinquioris negligentiam aut Culpam, qui neglexerit rem Feudalem ab alio poſſeſſam vindicare. Ziegl. *in comment. ad H. Grot. L. 2. c. 4. §. 10. n. 3.*

§. VII. Quanquam vero Culpa aliena alteri imputari non poſſit, non tamen obſtat, quo minus ex factis alienis quis poſſit incurrere Culpam propriam, cum certiſſimi juris ſit, Culpam propriam non excludere facta aliena. Imputatur enim nihilominus Culpa propria, licet ex factis alienis emanet, uti liquido patet ex §. *ult. J. de Obl. quæ quaſi ex del. naſc.* ubi Exercitor navis, cauponæ & ſtabuli de furto tenetur, quod in navi caupona aut ſtabulo factum ab eis, quorum opera navem, cauponam aut ſtabulum exercet. Subnectit Imp. rationem, quod aliquatenus *culpæ reus ſit*, quod operis malorum hominum utatur. *conf. l. un. furt. adv. naut.* ubi confirmatur, quod caupo præſtet eorum factum, qui in Caupona ejus exercendæ cauſa ſunt.

§. VIII. An autem præſtatio Culpæ cum Imputatione conveniat, nec ne? quæritur. Et quidem quandam affinitatem inter hæc intercedere, negandum haud eſt; differunt tamen, quod (1) *præſtatio Culpæ* ſit *effectus*,

 qui

Digitized by Google

qui ex Imputatione promanat: cui enim culpa imputatur, is etiam eam præſtare, h. e. damnum inde ortum in ſe ſuſcipere & reſarcire tenetur. (2) *Præſtatio* eſt *facti*, *imputatio* vero magis *juris*. (3) Præſtatio hujus vel illius Culpæ conventione poteſt remitti, ut tamen illa imputari poſſit, effectu licet ſubducto. Spectat huc elegans exemplum in *l.* 7. §. 5. *ff. ad exhib.* ubi JCtus fatetur: quamvis ſit, quod ei IMPVTETVR, cur non ſtatim reſtituerit, ſed paſſus ſit, ſecum litem conteſtari, tamen eum abſolvi oportere. Conf. Struv. *Ex. 15. th.36. in f.* (4) Præſtatio Culpæ ſemper præſupponit damnum; nam præſtare Culpam, eſt reſarcire damnum ex culpa commiſſa profluens: at vero Imputatio Culpæ non ſemper damnum requirit antecedaneum. Sic culpæ annumeratur, immiſcere ſe rei ad ſe non pertinenti *l. 36. ff. de R. J.* inde etiam negotiorum geſtor tenetur ad culpam leviſſimam. *Imputet* enim ſibi, quod ſe immiſcuerit rei ad ſe non pertinenti. Hic imputatur negotiorum geſtori aliquid, quod licite omittere potuiſſet, & tamen ſuſcepit. (5) Diſtinctio Culpæ in latam, levem & leviſſimam proprie tunc locum habet, quando de præſtatione culparum quæritur, non autem præciſe, quando de Imputatione ſermo eſt. (6) Denique Culpa *præſtanda* eſt *aliis*: *Imputatio* autem fieri poteſt *citra reſpectum ad alium*.

§. IX. His in genere de Themate ipſo ſeu *Imputatione Culpæ propriæ* prælibatis, jam ad definitionem, diviſionemque digreſſum faciemus Et quidem quod priorem attinet, delineamus IMPVTATIONEM CVLPAE PROPRIAE, quod ſit ACTVS INTELLECTVS, QVO QVIS PROPRIAM NEGLIGENTIAM CIRCA REM QVANDAM COMMISSAM

SAM SIBI ATTRIBVENDAM, ET PROPTEREA ILLAM PRAESTANDAM JVDICAT.

§. X. Loco generis poſuimus ACTVM INTELLECTVS: videlicet, cum negligentiam quandam circa rem committimus, imperite forſan verſando in re aliqua *l. 1. §. 17. ff. de Separat.* ſtatim intellectus noſter cognoſcit, imperitiam nobis ipſis eſſe adſcribendam, (cur enim quis illud in ſe ſuſcipit, ad quod inhabilem ſe eſſe antea noverat?) & huic propoſitioni promte aſſenſum præbet. Reliqua manifeſtoria apparebunt dum per ſubſequentia capita naturam Imputationis Culpæ propriæ ex ſuis fontibus ſpecialioribus ſumus derivaturi.

§. XI. Diviſio principalior eſſe poteſt, quod *Imputatio* alia ſit *vera*, alia *ficta*. *Vera* eſt, qua alicui culpa vere commiſſa adſcribitur, ut eſt in eo, qui per Imperitiam culpam incurrit §. *7. & 8. J. de L. Aquil.* *Ficta* eſt, qua per fictionem juris alicui quid adſcribitur, quod ipſe revera non commiſit, habetur tamen quoad effectus juris, ac ſi vere commiſiſſet. Sic negligentia defuncti circa exactionem debiti etiam nocet quoad Uſucapionem heredi repræſentanti perſonam defuncti. Cum enim in jus defuncti ſuccedat, meliori jure nequit uti *l. 177. pr. ff. de R. J.* Sic & in præſcribendo vitia defuncti heredi imputantur: ſicuti jam mala fides in herede eſt ficta, Ill. Dn. Lynck. *in Anal. ad ff. de Uſuc. th. 21.* ita etiam Culpa ficta eſſe debet. Aliud exemplum eſt in *l. 18. ff. quem ad ſerv. amitt.* conf. Id. *in Anal. ad ff. ad L. Jul. Maj. th. 20.* ubi monet, infamiam liberorum, quam illi ex crimine parentum ſubeunt, IMPVTATIVAM magis eſſe, quam veram. Nam liberi nihil deliquerunt, hinc vere nihil illis imputari poteſt: imo poſſunt eſſe ejus ætatis, ut ne quidem culpa in eos cadere queat.

CAPVT

Digitized by Google

CAPUT II.

EXHIBENS SPECIALIA ET QUIDEM

FUNDAMENTA IMPUTATIONIS CULPÆ PROPRIÆ.

§. I.

Ex ſuis fontibus generalibus hactenus derivavimus *Imputationem Culpæ propriæ*; jam paulo propius ad ſpeciales accedimus, examinaturi fundamenta, quibus *Imputatio Culpæ* ſuffulcitur. Et cum hæc varia ſint, (nam ipſa facta ſunt infinita) præcipua ſaltim & quotidie occurrentia tangemus.

§. II. Scilicet *Culpa* alicui *imputatur* vel ex *Omiſſione* ejus, quod facere debebat, vel *Commiſſione*, quod facere non debebat. *l. 121. ff. de R. J.* OMISSIO præcipue reſpicit NEGLIGENTIAM quandam craſſam & INCURIOSITATEM in rebus peragendis: ubi ſtatim Axioma occurrit, quod jus Civile ſit *vigilantibus* ſcriptum, *l. 24. f. ff. quæ in fraud. credit.* Neque enim jura ſubveniunt *negligentibus. l. 16. ff. ex quib. cauſ. maj. 25. ann.* Unde denegatur beneficium reſtitutionis, quod alias competebat. vid. Mev. *4. Dec. 229. n. 2.* *Ignaviam* enim prætendentes audiri non oportet *l. 78. §. 2. ff. de Leg. 2.* Hinc qui tunc, cum debitor facultatibus labitur, non vigilat, ſuæ *negligentiæ acceptum ferre* tenetur *l. cit. 24. ff. quæ in fraud.* Mev. *8. Dec. 76. n. 8.* Evidentia hujus

jus rei porro patet ex *l. 17. pr. ff. ad SCt. Vell.* ubi multum intereſſe, ait JCtus, (quoad Exceptionem ſc. SCti Vell.) an cum muliere ab initio contrahat creditor, an alienam obligationem in eam transferat, tunc enim *diligentior* (h. e. *Curioſior*, ut Gothofr. *in not.* explicat) eſſe debet. Ideoque ſi mulier non ſit debitrix, & tamen ac ſi debitrix eſſet, delegari ſe paſſa ſit creditori, locum haud habebit replicatio adverſus Exceptionem SCti Vell. quod ſcil. ignoraverit: *Imputatur* enim ipſi, quod non *diligentius* inquiſiverit, cum tamen hoc caſu *Curioſiorem* eum eſſe oportuiſſet. Bachov. ad Treutl. *vol. 1. Diſp. 25. th. 5. Lit. d. & e.* Brunn. ad *l. cit. 17.* Huc pertinet etiam *l. 3. §. 9. de in rem verſ.* ubi dicitur, quod *curioſus* debeat eſſe creditor, quo pecunia ſervo mutuo data vertatur: alias enim non competit actio contra Dominum de in rem verſo. Et hanc *negligentiam* quandoque graviter LL. vindicant. Exemplum occurrit in *l. 3. ff. de his quæ ut ind. auf.* ubi maritus indignus judicatur, quia id egerat, ut per *Negligentiam & Culpam* ſuam (etiam levem Mant. *de conject. ult. Vol. L. 12. tit. 5. n. 10.*) mulier, à qua heres inſtitutus erat, moreretur, v. g. cum non adhibuerit Medicum, vid. Dn. Mev. *4. deciſ. 398.* Mant. *L. 12. tit. 5. n. 21.* Barry *L. 1. th. 9. n. 4.* vel cum adhibuerit quidem, ſed malum aut imperitum. Perez. *in C. de his quæ ut ind. n. 1.* Notatur porro negligentia, quæ committitur circa res ſuas perſequendas. Ideoque læſo venditori ultra dimidium ex *l. 2. C. de Reſc. vend.* competit quidem remedium: verum ſi ceſſet ex negligentia quadam hoc remedium inſtituere, & interim res vendita apud emtorem pereat, remedio amplius uti nequit, licet vel maxime per emtoris negli-

 gentiam

Digitized by Google

gentiam res ſit exſtincta, cum ſibi *Imputare* debeat venditor, quod non citius remedio *l. 2.* fuerit uſus. Scotan. *diſp. 37. th. 23.* Negligentibus enim jura non ſubveniunt, *cit. l. 16.* Huc denique ſpectant, quæ Canones docent *X. de ſupplenda negligentia prælatorum;* item quod ſine patroni *negligentis* præſentatione valida ſit inſtitutio, quæ alioquin foret nulla. Ill. Dn. Lynck. *in Anal. ad Deſſel. L. 3. tit. 38. Q. 1.* Illud tamen adhuc circa hanc materiam notandum, quod non ubique LL. *curioſitatem* eandem exigant, uti patet ex *l. 7. §. f. de Exercit. act.* ubi non ſuſcipit creditor eandem *curam* (h. e. non *curioſus* eſt, Gothofr. *in not. ad h. l.*) an in hanc rem pecunia eroganda ſit? imo alias in Creditore non exigunt LL. curioſitatem, uti patet ex *l. 19. in f. ff. de Novat.* verb. *ne CVRIOSVS videatur.* In his ergo & ſimilibus caſibus etiam Imputatio ceſſat.

§. III. Negligentiæ quam proxime accedit *Ignorantia & Mora.* IGNORANTIAM autem hic non intelligimus *facti*, ſed *juris*: regulariter enim quilibet jura noſſe debet. *l. 9. C. de LL. l. 12. C. de jur. & fact. ignor.* cum ſint norma vitæ. Qui proinde jus ignorat, eſt cauſa ſuæ ignorantiæ, cum illud facile ſcire ob promulgationem publicam, vel ſaltim prudentiores in conſilium adhibere potuiſſet. Eſt enim *culpæ* quoque *ſpecies*, juriſperitos in talibus, in quibus illorum ſtudio atque opera opus eſt, non conſulere *l. 2. §. ult. ff. quis Ord. in poſſ. ſerv.* Mev. *8. Deciſ. 79. num. 5.* Qui vero eſt cauſa ſuæ ignorantiæ, interpretatione juris habetur pro ſciente, & per conſequens ignorantia hæc vincibilis ipſi imputari debet: Lata quippe Culpa eſt, ignorare, quod omnes ſciunt, aut ſcire debent. *l. 213. ff. de V. S.*

Digitized by Google

V. S. conſ. Bachov. ad Treutler. *Vol. II. Diſp. III. th. ult. L. b.*

§. IV. Ut tamen *Culpa* ex ignorantia alicui poſſit *imputari*, diſtinguendum erit inter ignorantiam *juris Naturalis* & *poſitivi*. *Jus Naturale* vel habet *prima principia*, & hæc à nemine ignorari poſſunt: cordium enim tabulis ſunt inſculpta. Vid. Dn. Huber. *p. 3. Præl. Jur. Rom. tit. de Jur. & fact. ign.* §. *1.* add. §. *1. J. N. G. & C.* vel *concluſiones*, easque vel *propriores* vel *remotiores* ex principiis deductas, quæ poſteriores propter Intellectus hebetudinem quibuslibet non ſtatim obviæ: his enim natura non conceſſit, ut concluſiones legitime ex principiis deducere poſſent. Samuel Rachel. *Inſtit. Jurispr. L. 1. tit. 10. Aph. 21.* H. Grot. *de J. B. ac P. L. 2. c. 20.* §. *43. n. 1. & 2.* Ideoque ſæpius hæc juris Nat. ignorantia quoad ſexum, ætatem & ſtatus rationem imputari nequit: ſiquidem & ipſæ LL. quibusdam perſonis ignorantiam non imputant, quas recenſet Brunn. *ad l. 19. ff. de J. & F. Ignor.* & Dn. Huber. *c. l.* Quod *jus Poſitivum* concernit, ibi quidem regulariter ignorantia imputatur præprimis acquirere volentibus, non vero ſuum petentibus *l. 7. ff. de jur. & F. ign.* conſ. Rachel *c. l.* ubi varie diſtingvit. Exempla ſufficientia peti poſſunt *ex l. 1. & 9. ff. eod.* In jure tamen particulari ſeu ſtatutario novitiis civibus ignorantia imputari non ſolet, cum illis ſit quodammodo invincibilis. Facti vero ignorantiam haud nocere, modo dictum; facti enim interpretatio etiam prudentiſſimos fallere poteſt, ſed jus finitum eſt *l. 2. ff. de J. & Fact. Ign.* Gail. *L. 2. obſ. 48.* Facti autem ignorantia intelligitur *alieni. l. ult. ff. pro ſoc. l. 3. C. ad L. Cornel. de Falſ. l. 15. ff. mand. l. 12. ff. de ſolut. l. 11.*

Digitized by Google

§. 4. *de his qui not. inf.* conf. Diſſert. Rhetii *de Damn. Volunt. c. 3. §. 5. circa fin.* Si tamen ei *ſumma negligentia* objici poſſit, dum v. g. omnes in civitate ſciunt, quod ille ſolus ignorat, merito ipſi hæc ignorantia imputatur *l. 9. §. 2. ff. de J. & F. ignor.* Imo ſi Culpa quædam ignorantiam facti alieni antecedat, ut ex *tit. ff. de his qui dejec. vel effud.* liquet, etiam illa imputatur. Vid. *l. 1. §. 4. d. t.* ibi: *Culpa enim penes eum eſt.* *Facti* vero *proprii* ignorantia merito Culpæ annumeratur. Vid. *l. 7. ff. ad SCt. Vell. l. 19. §. 1. Locat.* Huc denique ſpectat *Error culpoſus:* Quocirca qui præmiſſo ordine inferiori per ſaltum ad ſuperiorem aliquem ſua *negligentia* ſeu *errore culpoſo* aſcenderit, ſuſpenditur ab uſu & executione ſuſcepti ordinis, donec omiſſus ordo ſuppleatur. Deſſel *in Erotem. J. Can. L. 5. tit. 29. Q. 1. & 2.* ibique Ill. Dn. Lynck. *in Anal.*

§. V. Ex MORA quoque tanquam fonte ampliſſimo *Culpa propria* derivatur. B. Dn. Struv. *Ex. 27. th. 64. in pr.* (unde & definitur per *Culpam* à Vultejo in *Jurispr. Rom. L. 1. c. 44.*) tractatioque ejus ſatis diffuſa eſt, licet difficilis ſit definitio *l. 32. §. 1. ff. de Uſur.* ad quam Ill. Dn. Lynck *in Anal. de Uſur. th. 67.* & Bachov. *Vol. 2. Diſp. 3. th. 6. L. b. in f.* Merito enim is Culpam incurrit, qui illud differt ex quadam negligentia, quod debito tempore præſtandum erat. Committitur vero mora hæc vel *à nobis ipſis*, vel ab *aliis:* Si à *nobis ipſis*, tunc maxime commendandum illud axioma: *Unicuique ſua mora nocet l. 173. & 155. ff. de R. J. c. 25. de R. I. in 6.* Domin Arum. *in exercit. ad ff. Diſp. 13. th. 6.* Finckelth *Obſ. 10. n. 9.* Exempla infinita paſſim occurrunt, præprimis in *l. 11. §. 5. ff. depoſ. l. 3. §. 4. ff. de Act. emt.*

emt. vend. l. 32. §. 3. ff. de Uſur. Sic in electione Imperatoria ſinguli Electores ad electionis actum vocari debent, nullo plane, qui eſt de collegio, excepto. Unde jam diſputant Juris publici conſulti, an præteritio unius alteriusve ex negligentia Moguntini facta totum electionis actum reddat nullum? Et verior videtur ſententia Dn. Swederi *in Introd. in jus publ. part. ſpec. Sect. 1. c. 2.* §. 7. quod hoc caſu valeat, cum ſibi imputare debeat, qui ab ipſa lege (*A B c. 1. §. 19. verſ. quodſi idem Archiepiſcopus.*) monitus in mora fuit. Interea tamen mora rei fidejuſſori quoque nocet, *l. 88. ff. de V. O.* ſi ſcil. in omnem cauſam fidejuſſerit. Brunnem. *ad c. l.* ſibi enim imputare debet, quod non proſpexerit, ne debitor in mora conſtitueretur, cum tamen ei remedia ſaluberrima in jure ſint ſuppeditata. vid. *l. ſi contendat. ff de Fidej.* Si vero *ab aliis* committatur, tunc locum habet illud, quod dicitur in *l. 39. ff. de R. J.* In omnibus cauſis pro facto accipitur id, in quo per *alium* mora fit, quo minus fiat. Ubi tamen per *alium* intelligi hic debet, *cujus intereſt fieri, vel non fieri*, alias enim habebitur pro impleto. Gunzel. ad *d. l.* Hinc debitor, qui pecuniam recuſante creditore obſignavit & depoſuit, liber eſt ex eo die à præſtatione uſurarum, cum per creditoris moram fiat, quo minus ſolvatur *l. 7. ff. de uſur.* Aliud exemplum eſt in *l. 2. §. f. C. de his qui per met. jud. non app.* Effectus quod attinet, efficaces ſane illi ſunt, paſſimque à Dd., dum ſæpiſſime de illis agendi incidit occaſio, exeutiuntur. Potiſſimi ſunt, quod (1) transferat periculum in moratorem, ut dum antea non tenebatur ad præſtationem caſus fortuiti, jam illum præſtare teneatur. Sic in precario ſaltim culpa

Digitized by Google

lata præſtatur: ubi autem moram quis fecit, omnem cauſam debebit conſtituere *l. 8. §. 6. ff. de precar.* (2) Ex mora in b. f. judiciis uſuræ debentur & fructus *l. 7. ff. de Uſur. & fruct.* imo & in ſtricti juris judiciis eo caſu, quando peto illud, quod fuit meum. Brunnem. *ad l. 38. ff. c. t.* (3) Mora inducit perpetuationem obligationis, *l. 91. §. 3. de V. O.* conf. B. Dn. Struv. *Ex. 27. th. 70.* Et quando jam hi effectus moroſo applicantur, de ſe queri, ſibique culpam imputare debet. Sed conſulantur de hac materia Dd., qui integris tractatibus illam illuſtrarunt, imprimis Arumæus, Taco à Glins, & Jul. à Beym.

§. VI. Succedat denique SCIENTIA, quæ duplici via hîc Culpæ annumerari poteſt. (1) Quando quis non ignarus rei alicujus eſt, & tamen contra propriam ſcientiam venit. (2) Quando quis ſcit & prohibere poteſt, ſed tamen illud negligit. *Prius* contingit, quando quis ſcienter in alieno ſolo ædificat, amittit enim tunc materiæ proprietatem, quia voluntate ejus videtur eſſe alienata. *Scienti* enim poteſt objici culpa, quod ædificaverit *temere* in eô ſolo, quod vel intelligebat vel facile ſcire poterat, eſſe alienum. §. *30. J. de Rer. diviſ.* Damnum ergo hoc ſibi ipſe acceptum ferre debet. Similiter ſi quis fundum alienum vel obligatum *ſciens* comparaverit, non poteſt poſtea de evictione præſtanda agere *l. 27. C. de Evict.* Neque etiam locum habet famoſiſſimum illud remedium ex *l. 2. C. de reſc. vendit.* ſiquis *ſciens* verum valorem rem viliori pretio vendiderit: ſcienti enim non fit injuria. *c. ſcienti, X. de R. J. in 6.* Scotan. *Exam. jurid. tit. de reſcind. vend. Q. 3.* conf. Bronchorſt. ad *l. 145. de R. J.* Nec mulier

gaudet

gaudet beneficio prælationis ratione dotis, quando *ſciens prudensque* nubit viro obærato. Gail. 2. *Obſ. 48. Carpz.* 1. *28. def. 84. 85.* Porro, ſi is, qui dominium alicujus rei prætendit, *ſciens* cum altero eam rem poſſidente tanquam cum Domino contrahit, jus ſuum remiſiſſe non immerito cenſetur. *l. 23. C. de donat. l. 77. ff. de rei vind.* Huc denique refer, quando quis *conſenſum præbet in proprium præjudicium.* Nam ſi filius ſe abſtinuerit hereditate paterna, & feudum à patre habeat, etiam illud amittit. Quodſi autem cum Dominus Feudi conſentientibus agnatis de feudo noviter inveſtiverit, redditur novum, & propterea agnati ob conſenſum præſtitum à feudo, utpote novo, excluduntur. B. Dn. Struv. *Synt. Jur. Feud. c. 3. aph. 2. n. 5.* *Poſterioris* exempla etiam haud infrequentia eſſe ſolent. Ducimus hac in re argumentum ex *l. 50. ff. de R. J.* à contrario ſenſu, quod ſcil. culpa non careat, qui ſcit & prohibere poteſt, & tamen illud negligit. conf. *l. 3. ff. de noxal. act. & l. 1. §. 1. ff. ſi famil. furt. fec. dic.* ibi: *is accipitur ſcire, qui ſcit, & potuit prohibere.* Recte propterea in *l. 45. pr. ff. ad L. Aquil.* diſponitur, quod dominus teneatur, quando ipſo ſciente ſervus ejus quem vulnerat, cum tamen prohibere potuiſſet; quod hodie applicari poſſe ad noſtros famulos, ſi quid nobis ſcientibus perpetrant, docet Brunnem. ad *l. ult. C. de noxal. act.*

§. VII. Viſis præcipuis, quæ ad Omiſſionem proxime ſpectare videbantur, ad alterum membrum, de quo *ſupra* §. 2. *h. c.* nempe COMMISSIONEM ſeu culpam, quæ in committendo conſiſtit, pedem promovemus. Et quidem hic præcipue alicui imputatur ΠΟΛΥΠΡΑΓΜΟΣΥΝΗ, ſeu quando quis ſe *immiſcet rei alienæ,*

alienæ, cum iuxta Pompon. in *l. 36. de R. J.* culpa ſit, immiſcere ſe rei ad ſe non pertinenti. *c. non eſt ſine. de R. J. in 6.* Exemplum hujus rei inſigne præbet *l. 46. ff. de Minor.* ubi Paulus docet, eum, qui ex ſua voluntate, (cum neceſſitate Officii coactus non eſſet, Gothofr. *in not. ad h. l.*) minorem annis in judicio defendit, & condemnatus eſt, ex cauſa judicati poſſe conveniri, nec ejus, quem defendit, ætatem ad reſtitutionem impetrandam ei prodeſſe, cum cauſam judicati recuſare non poſſit. Facilitati enim ejus imputatur, quod ultro negotiis, ad ſe non pertinentibus, ſe immiſcuerit. Bronchorſt. *ad d. l. 36.* Unde & jure Can. exceſſus hic notatur, quando ſcil. Prælati ſe ingerunt rebus non ad ſe, ſed ad ſuperiorem pertinentibus *c. 5. 6. 12. X. de Exceſſ. præl. & ſubd.* Quin imo negotiorum geſtor extra ordinem juris tenetur ad Culpam exactiſſimam, §. *1. J. de Obl. quæ quaſi ex contr. naſc. arg. l. 25.* §. *16. in f. ff. famil. herc.* cum ſibi imputare debeat, quod ſe immiſcuerit rei alienæ; unde & certis caſibus caſum præſtare tenetur. Ill. Dn. Lynck. *in Anal. ad* §. *5. J. de Obl. quæ quaſ. ex contr. naſc.* conf. *Diſſ. cit. de Damn. volunt. c. 2. per tot.* ubi multa de clericis, judice ſeculari, privatis aliisque, qui falcem in alienam meſſem mittunt, & negotiis alienis ſe implicant, ſuppeditat.

§. VIII. Proximum hic jure meritoque locum occupat, qui SE OFFERT negotio alicui. Eo enim ipſo cenſetur exactiſſimam promittere diligentiam. Nec habet, quod conqueratur, ſi extra ordinem juris forſan damnum patiatur: illud enim ſibi ipſe imputare debet. Hinc eſt, quod, qui ſe depoſito ultro obtulit, periculo depoſiti ſe illigaſſe credatur, & Culpam etiam leviſſimam

mam præſtare teneatur. *l. 1. §. 35. ff. depoſ.* cum alioqnin ſaltim latam præſtet. *l. 5. §. 2. ff. commod. l. 23. ff. de R. J. l. 32. ff. depoſ.* Præterea quamvis alias furti actio ei competat, cujus intereſt rem ſalvam eſſe, juxta §. *13. J. de Obl. quæ ex del. naſc.* qui tamen alienis negotiis gerendis ſe obtulit, actionem furti non habet, ſed actione negotiorum geſtorum damnandus eſt *l. 53. §. 3. ff. de furt.* Imputet enim ſibi, quod obtulerit ſe alienis negotiis gerendis. Idem locum habet in Tutore & Curatore, qui ſeſe obtulerunt; cenſentur enim tunc exactiſſimam polliceri diligentiam, licet alias ultra levem non teneantur. B. Dn. Struv. *Ex. 31. th. 38.*

§. IX. Huc etiam ſpectare videtur IMPERITIA, quæ diſertis verbis Culpæ annumeratur in *l. 132. ff. de R. J. §. 7. J. ad L. Aquil. l. 9. §. 5. ff. Locat.* Qui enim Imperitia damnum dat, illi imputari poteſt, quod ſe rei ad ſe non pertinenti immiſcuerit, unde tamen Culpa contrahitur, per *l. 36. ff. de R. J.* Gunzel *ad l. cit. 132.* Per Imperitiam autem hic eam intelligimus, quæ deſideratur in eo, qui artem quandam profitetur: quilibet enim debet peritus eſſe ejus artis, quam profitetur *l. 9. §. 5. ff. locat. arg. l. 1. pr. ff. de ventr. inſpic.* Ideoque Medicus, qui ſervum male ſecuit, aut perperam ei medicamenta dedit, non excuſatur. §. *7. J. de L. Aquil.* ſed ei, quod *per imperitiam* commiſit, *imputari debet. l. 6. §. 7. ff. de Offic. præſid.* Eſt quippe magna culpa, ſi medicinæ ignarus medicamenta ægrotis ſuppeditet. Cothmann. *L. 1. conſ. 1. n. 318.* conſ. Finckelth. *Obſ. 61. n. 27.* ubi quatuor in medico deſiderat, ne ei culpa imputari poſſit. Et hæc jam ad omnes artem profitentes applicanda ſunt. Barboſ. locupl. *L. 9. c. 16. ax. 1.* conſ. Finckelth. *cit. obſ. n. 28.* Nam in his propter defectum artis

culpa

culpa præſumitur. Menoch. *5. præſ. 3. n. 134.* modo per imperitiam damnum in corpus ſit datum. Ill. Dn. Lynck. *in Anal. ad §. 7. J. de L. Aquil.* Ideoque JCto & Advocato jus, quod profitetur, & in quo verſatur, ignorare, turpe eſſe dicitur in *l. 2. §. 43. ff. de O. J.* Unde jam porro ſua ſponte fluit, quod lapſis per Imperitiam non ſuccurratur, licet alias remedia opima illis ſint propoſita. Ideoque quamvis minoribus læſis detur beneficium reſtitutionis in integrum, *t. t. de Minor.* ceſſat tamen illud, ſi peritiam artis profitens in cauſa illius artis aut profeſſionis ſe læſum dicat. Sic Doctor minorennis circa ea, quæ juris ſunt, non reſtituitur. B. Dn. Struv. *Ex. 80. th. 55.* Wiſſenb. *ad ff. Diſp. 14. th. 4.* Porro, quamvis per Edictum Ædilitium occurratur fallaciis vendentium, & emtoribus ſuccurratur. *l. 1. §. 2. de Ædil. Edict.* illud tamen non habet locum, quando quis fallitur per propriam Imperitiam. Exemplum refert Ill. Dn Stryck *de jure ſenſ. c. 3. n. 4.* quod ſcil. redhibitio locum non habeat, ſi ſus grandinoſus vendatur laniis, qui peritiam hujus vitii inveſtigandi habent.

§. X. Simili ratione & IMPRUDENTIA Culpæ aſſignatur. Nam judex, qui per Imprudentiam male judicat, cum utique aliquid peccaſſe intelligatur, quaſi maleficio propterea videtur obligatus. *pr. J. de Obl. quæ quaſi ex del. naſc.* Imprudentia autem maxime hic in eo ſe fundat, quod judex aſſeſſorum ſuorum imperitorum conſilia ſecutus, iisque imprudenter uſus fuerit. Quid juris, ſi quis in fundo alieno, quem *imprudens* emerat, ædificaverit, aut conſeruerit, & deinde evincatur, docetur in *l. 38. ff. de rei vind.* ubi per varias circumſtantias JCtus rem decidit. Illud facile conſtat, illi imprudentiam obeſſe, cui ea tanquam Culpa quædam imputari poteſt.

Cum

Digitized by Google

Cum ergo minoribus ex *imprudentia* vel juvenili levitate lapſis illa imputari nequeat ob lubricum ætatis, *l.* 24. §. 1. *ff. d. Minor.* hinc nec eis obeſſe poteſt: ſecus ac *mulieribus*, quæ male comparantur minoribus, quod iſtis nullibi ob imprudentiam reſtitutio indulgeatur. Ill. Dn. Lynck. *in Anal. ad ff. de Minor. in pr.* conf. *infr. c.* 3. §. 46. *in f.* ubi etiam quoddam exemplum ex *l.* 11. *ff. de cond. indeb.* allegatur.

§. XI. A Culpa quoque immunis non eſt, qui NEGOTIA SVA VEL IMPERITO AVT INHABILI COMMITTIT, vel etiam cum eo NEGOTIVM QVODDAM GERIT. De priori caſu res ſane haud eſt controverſa. Nam pupillus inſtitor obligat eum, qui eum præpoſuit *l.* 8. §. 2. *ff. de Inſtit. Act.* Neque etiam intereſſe dicitur in *l.* 1. §. 4. *ff. de Exercit. Act.* cujus ætatis ſit magiſter, quod *ſibi imputare debeat*, qui præpoſuit. Ex hiſce jam fluit, quod minor poſſit eſſe procurator in negotiis extrajudicialibus. An autem ad lites poſſit eſſe, valde controvertitur: iuri tamen conformior videtur ſententia affirmativa, *arg.* §. 5. *J. qui & ex quib. cauſ.* Si enim per hunc procuratorem læditur Dominus, *imputari ipſi debet, quod tali commiſerit ſua negotia. l.* 23. *ff. de Minor.* Cum autem defenſor ſine mandato conſtituatur, nec huic committantur negotia, minor talis eſſe nequit. B. Dn. Struv. *Ex.* 7. *th.* 33. Exinde etiam ſocius, qui parum diligentem ſocium ſibi aſſumit, & ex illius adminiſtratione jacturam ſentit, *de ſe queri, ſibique hoc imputare debet.* §. 9. *J. de ſoc.* Idem dicendum de eo, qui Advocato vel Notario imperito & negligenti res ſuas committit. conf. Reichs⸗Abſch. *de Anno* 1512. oder Ordnung der Notarien. Stari etiam debet ſententiæ arbitri, ſive æqua,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ſive iniqua fuerit, & *ſibi imputet*, qui compromiſit in ejusmodi arbitrum minus forſan idoneum. *l. 27. §. 2. ff. de Recept.* Denique ſi menſor imperite vel negligenter verſatus eſt, *ſibi imputet*, qui minus peritum adhibuit menſorem *l. 1. §. 1. ff. ſi menſ. falſ. mod. dix.* Scotan. *part. 2. ad tit. c. Q. 4.* Conſ. interim Dn. Chriſt. Thomaſ. Diſſert. *de jure circa ſomn. & ſomnia c. 5. §. 2.* ubi diſtingvit, an quis utatur opera hominis negligentis circa res proprias, an vero circa alienas. De poſteriori caſu elegans exſtat textus in *l. 19. ff. de R. J.* ubi monet JCtus Ulp. quod, qui cum alio contrahit, non debeat eſſe ignarus conditionis ejus, an nimirum ſit paterfam. vel filiusfam.? liber an ſervus? pupillus an majorennis? prodigus an ſanæ mentis? Gunzel. *ad d. l. 19.* Qui ergo quid detrimenti inde capit, ſibi hoc imputare debet, quod non rectius conditionem ejus inveſtigaverit. Bronchorſt. *ad d. l.* Cum vero heres ſponte cum legatariis non contrahat, ipſi hoc imputari nequit *d. l. 19.* Hinc qui cum pupillo contrahit ſine Tutoris auctoritate, obligatur quidem, quoad pupillum vero obligatio eſt invalida, & ſic contractus *claudicare* dicitur. vid. Scotan. in *Exam. Jurid. de aut. & conſ. Tut. Q. 7.* Imputatur quippe ei, quod contraxerit cum pupillo ſine Tutoris autoritate. Legatariis autem & creditoribus merito obligaretur, niſi aditio hereditatis absque Tutoris autoritate foret nulla. *§. 1. J. de aut. Tut.* cum his nihil tale imputari poſſit. B. Dn. Struv *Ex. 31. th. 21.* Hinc monet Imp. *in l. 2. C. de Furt.* ut cautius negotientur, qui res furto ſubtractas emunt; reſtituere enim eas tenentur non reddito pretio. Conſ. *l. 11. C. unde Vi.* In ſolutionibus maxime omnium præcavendum, ne à minus idoneo ſolutio exigatur: ſi enim pupillus ſine Tutoris auctoritate, vel furioſus, vel is, cui

bonis

Digitized by Google

bonis interdictum eſt, ſolverit, generaliter repetitioni locum eſſe non ambigitur. *l. 29. ff. de cond. ind. l. 14. in f. de ſolut.* Bachov. *vol. 2. diſp. 29. th. 2. L. G.* Conſ. omnino Ill. Dn. Stryck. *in Caut. Contr. Sect. 1. c. 2. §. 1.*

§. XII. Pergimus jam ad ABSENTIAM non quamlibet, ſed CVLPABILEM. Quamvis enim Prætor regulariter abſentibus ex clauſula generali in *l. 1. ff. ex quib. cauſ. maj.* contenta, ſuccurrat, auxilium tamen ſuum eis denegat, quoties eos per *culpam* abſuiſſe conſtat. Bene propterea Calliſtr. *in l. 14. ff. ex quib. cauſ. maj.* transfugis, ait, nullum credendum eſt beneficium tribui; cum delinquentibus Prætor non ſuccurrat *l. 16. §. 6. ff. eod.* Unde & Collega amittit ſuum locum in Collegio, quando ſine juſta cauſa abſens fuit ultra quinquennium. *l. 3. C. de domeſt. & protect.* Multo minus abſentia affectata prodeſt, ſiquidem nullum impedimentum affectatum excuſat. Sfort. Odd. *de Reſtit. p. 1. c. 27.* Quænam autem ſit affectata abſentia, docet B. Dn. Brunnem. *ad l. 4. & 5. ff. ex quib. cauſ. maj.* ubi etiam exempla culpabilis & affectatæ abſentiæ habentur v. gr. quando maturius profectus eſt &c.

§. XIII. Non incongruum quoque eſſe ducimus, quædam hic annectere de POENITENTIA IMMATVRA, per quam itidem culpa contrahitur. Regulariter ſcil. hæc in contractibus non admittitur *l. 5. C. de Obl. & Act.* quæ enim ab initio erant voluntatis, ex poſt facto fiunt neceſſitatis. Quodſi autem pœnitentia forſan alicui conceditur, ita tamen debet eſſe comparata, ne *immatura* aut *intempeſtiva* ſit. Sic cum aliquis renunciaverit ſocietati, ſolvitur ſocietas; §. 4. *J. de ſoc.* nemo enim in ſocietate, quippe quæ parit diſcordias,

manere cogitur *l. f. C. commun. divid.* Si tamen hoc fiat intempeſtive, pro ſocio eſt Actio. *l. 14. ff. pro ſoc.* Imo ipſo jure ſocietatis intempeſtiva renunciatio in æſtimationem venit *l. 17. ff. eod.* adeo, ut ſi quid lucri ea renunciatione intempeſtiva ſocius fuerit conſecutus, communicare illud, & damnum ferre teneatur, reliquis ſociis interim ſibi ſolis acquirentibus. Mantica *L. 6. tit. 23. n. 7. & ſeqq.* Frantzk. *tit. pro ſoc. n. 115.* Dicitur autem *intempeſtiva renunciatio*, quando jam intereſt ſociorum, ne diſſolvatur ſocietas. Brunnem. *ad l. 65. ff. pro ſoc. n. 7.* veluti ſi pacto vel juramento cautum, ne intra certum tempus recedatur à ſocietate, & alter renunciare velit. Ill. Dn. Stryck. *in Caut. Contr. Sect. 2. c. 10. §. 9.* Gail. *L. 2. obſ. 24. n. f.* Alia exempla ſuppeditat *l. cit. 65. §. 5. & 6.* Idem obtinet in mandato, ubi etiam ex parte mandatarii pœnitentia ſeu renunciatio permiſſa, modo & hæc fiat tempeſtive, ſeu res adhuc ſit integra, *§. 9. J. de Mand.* vel ut integrum jus mandatori reſervetur, aut per ſe, aut per alium eandem rem commode explicandi. *l. 22. §. f. ff. Mand.* Si ergo mandatarius intempeſtive renunciaverit, ad intereſſe tenetur. B. Dn. Struv. *Ex. 22. th. ult.* Mynſ. *tit. Mand. num. 3.*

§ XIV. ELECTIONEM MALAM culpæ quoque annumerari paſſim Dd. notant. vid. Gothofr. *ad l. 2. ff. ſi menſ. falſ. mod. dix. Lit. p. & ad l. 11. ff. Locat. Lit. q.* Gunzel. *ad l. 19. ff. de R. J.* hujusque ratio in Legibus ſæpiſſime habetur. Elegans hac de re eſt *l. 21. ff. de Negot. geſt.* ubi Paulus malam electionem imputari oſtendit egregio exemplo: Si enim mandato tuo negotia mea Lucius Titius geſſit, quod is non recte geſſit, tu mihi negotiorum geſto-

geſtorum actione teneris, non in hoc tantum, ut actiones tuas præſtes, ſed etiam *quod imprudenter eum elegeris*, ut quicquid detrimenti ejus negligentia fecit, tu mihi præſtes. Hanc electionem imprudentem præcavere voluiſſe quoque videtur Imper. *in* §. 5. *J. quod cum eo qui in alien.* ubi monet, diligenter ponderandum eſſe, quænam actio ex concurrentibus commode inſtitui debeat; hinc concludit: *Prout ergo expedit, ita quisque vel hanc actionem, vel illam eligere debet.* Si enim male elegerit, de ſe queri debet: quippe qui ſemel elegit, poſtea voluntatem ſuam mutare nequit. *l. 112. ff. de V. Obl. l. f. in pr. C. de codicill.* Imo adeo culpæ annumeratur talis electio, ut propterea durius quodammodo agi dicatur cum publicanis in *l. 3. ff. de publican.* addita hac ratione: quia *debent bonos ſervos ad hoc miniſterium eligere.* Conf. *l. 7. §. 4. Naut. Caup. ſtabul. & l. 27. §. 9. ad L. Aquil.* ubi expreſſe dicitur, quod teneatur ille, qui *negligens in eligendis miniſteriis* fuit.

§. XV. LVSVS quoque NOXIVS in Culpa eſt. *l. 10. ff. ad L. Aquil.* Præterquam enim quod ludis lucri cauſa dediti varias in jure incurrant pœnas, *t. t ff. de Aleat.* ille ſane magis culpandus erit, qui eo ludo utitur, qui aliis noxius eſt, cum tamen alteri per alterum non debeat iniqua inferri conditio. *l. 74. ff. de R. J.* Non immerito propterea in §. 4. *J. ad L. Aquil.* Imper. disponit, eum, qui, dum jaculis ludit, transeuntem ſervum occiderit, culpæ reum eſſe, modo non ſit miles & in eo verſetur loco, qui ad exercitandum militibus eſt deſtinatus. Aliud jucundum exemplum de Tonſore habetur in *l. 11 ff. ad L. Aquil.* Operam enim danti rei illicitæ omnia imputantur, quæ conſequuntur. *l. 30. §. 3. ad L. Aquil.* Manz. *ad* §. 4. *J. de L. Aquil.*

Digitized by Google

Aquil. Hinc exſtat tit. in jure Canon. *X. de Sagitt.* ubi Pontifex adeo prohibet ſagittis uti, ut ſi homicidium, licet caſuale, inde obveniat, tamen pro culpoſo haberi debeat, cum ita ludens rei illicitæ operam dediſſe cenſeatur. Ill. Dn. Lynck. *in Anal. ad Deſſel. L. V. tit. 15. in f.* Plura de luſis ejusmodi noxiis ſuppeditat diſſertatio Dn. Rhetii *de Damn. volunt. c. 6. §. 7. & ſeqq.*

§. XVI. Hactenus expenſa longiorem quandam excuſſionem meruiſſe videbantur, cum maxime ſint frequentia. Neque tamen exiſtimandum, quod non plura dentur capita, ex quibus culpa propria imputari poſſit: Sane multa adhuc reſtant, ex quibus index confici poſſet locupletiſſimus, niſi ratio inſtituti nos ab hoc labore avocaret. Interim obiter adhuc quædam ſaltim adjiciemus. Imputatur nimirum alicui etiam culpa (1) ex nimia FACILITATE *l. 1. §. 17. ff. ſeparat. §. 1. J. quib. mod. re. contr. obl.* Conf. Mev. *9. Dec. 150.* ubi dicit, quod ſufficiat, debitum verum eſſe, licet non ſit bonum, ſuæ quippe *facilitati* conſtituens debitum *imputare* debet, quod non rectius tum in facultatum vires, tum in qualitatem debiti inquiſiverit. Refer etiam huc *nimiam præcipitantiam.* Culpandus enim eſt, non juvandus, qui ſe præcipitavit, Id. ibid. *n. 10.* (2) Nimia SECVRITATE *l. 1. §. f. ff. de act. emt. vend.* ideoque, qui à quadrupede propria culpa, dum forſan nimis ſecurus eſt, læditur, non habet actionem *ſi quadr. paup. fec. dic.* cum damnum ſibi imputare debeat. B. Dn. Struv. *Ex. 14. th. 6. l. 2. §. 1. ff. ſi quadr. paup. fec. dic.* (3) Nimia SAEVITIA tam *præceptoris*, *l. 6. ad L. Aquil. l. 5. §. ult. eod.* quam *Domini*: cogitur enim hic ſervum ſuum bonis conditionibus vendere *§. 2. J. de his qui ſui vel al. jur. ſunt.* (4) Nimia INFIRMITATE, *l. 8. §. 1.*

ff. ad

Digitized by Google

ff. ad L. Aquil. ubi expreſſe JCtus Cajus docet, non iniquum videri, ſi infirmitas culpæ annumeretur. Conf. §. 8. *J. de L. Aquil.* (5) Nimia CREDVLITATE, *l.* 1. §. *2. ff. de eo, per quem fact. eſt verb.* eum ſibi *imputare*, qui *credulus* fuit. Conf. Mev. *9. Dec.* 150. (6) Immatura MISERICORDIA, §. *16. J. de L. Aquil.* veluti, ſi quis miſericordia ductus alienum ſervum compeditum ſolverit, ut fugeret, tenetur actione in factum. (7) Vano TIMORE. Vani timoris enim juſta excuſatio non eſt *l. 184. ff. de R. J.* v. g. qui ea timent, quæ nulla digna ſunt ſuſpicione. Hinc inquilinus, qui timoris cauſa emigravit, ſi timor non ſit juſtus, penſionis remiſſionem non impetrat. *l. 27. §. 1. ff. Locat.* (8) RENVNTIATIONE: Hinc qui renunciavit appellationi, non poteſt appellare. *l. 1. §. 3. quor. appell.* fidejuſſor non poteſt uti beneficio excuſſionis. *l.* 77. §. *16. de Leg. 2.* nec diviſionis. Carpz. *2. 17, 10.* nec cedendarum actionum, neque denique mulier beneficio SCti Vellej. *l. ult. § pen. ff. ad SCt. Vellej.* (9) VARIATIONE & inconſtantia, *l. ult. in pr. C. de Codicill.* (10) SOMNO: etſi enim res naturalis & humana ſit, imputatur tamen ei, qui vigiliam in ſe ſuſcepit. *l. 27. §. 9 ad L. Aquil.* Gothofr. *in not. ad L. cit. lit. f.* (11) COECA & PRAECIPITI OPINIONE. Sua enim quem cœca & præceps decipit opinio, *de alio queri* non poteſt, ſed *ſibi imputare* debet. Mev. *9. Dec.* 150. Neque ſapientis eſt, dicere, *non putaram.* Cic. *de offic L.* 1. (12) Qui PERICVLO ſe ſponte COMMITTIT, ut qui emit à fiſco. Ill. Dn. Lynck. *in Anal. ad §. ult. J. de Uſucap.* (13) Quando quis paciſcitur, ſed AMBIGVE & obſcure. Dicitur enim in *l. 39. ff. de Pact.* quod noceat eis, in quorum poteſtate fuit, apertius legem conſcribe-

re. Sic & verba contra ſtipulatorem interpretamur, cui liberum fuit verba late concipere h. e. quia ſibi imputare debet, quod verba latius haud conceperit. B. Dn. Struv. *Ex. 47. th. 22.*

CAPUT III.

ALIAS PERCURRIT CAUSAS.

§. I.

Aperuimus priori capite varios fontes, ex quibus Imputatio culpæ propriæ derivatur; cui jam illa imputari poſſit, ut breviter inquiramus, inſtituti ratio poſtulat. Et quidem ex hactenus dictis facile conſtabit, illum ſolum ſubjectum habile eſſe, cui talia, quæ longa ſerie ſupra recenſuimus, imputari poſſunt. Illa autem neceſſario præſupponunt uſum rationis? Ideoque qui eo caret, culpæ argui nequit. B. Dn. Struv. *Ex. 48. th. 1.* Rationis autem uſu caret *Furioſus*, cui nihil poteſt imputari; quæ enim in eo culpa eſt, cum ſuæ mentis non ſit, inquit Ulp. *in l. 5. §. 2. ff. ad L. Aquil.* & qui non intelligit quid agat? *§ 8. J. de inutil. ſtipul.* Potius hunc fati infelicitas excuſat, *l. 12. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* ſi autem furor dilucida intervalla habeat, & eo tempore quid amiſſum, illud recte imputabitur. *l. 14. de Offic. præſ.* Petr. Heig. *p. 2. Q. 35.* Huc pertinet *mente captus*, arg. *l. 25. C. de Nupt.* An & *Melancholici* excuſentur à culpa, dubitatur? Certe ſi animi impoten-

potentia in his prædominetur, illique ex uſu rationis omnia peragere nequeant, venia digni ſunt, nec illis quicquam imputari poteſt, ſi quid perpetrarint, quod alias culpoſum foret. Zach. *quæſt. Medico-Leg. L. 2. t. 1. q. 9.* imo eos furioſis accenſet Oldekop. *obſervat. Crimin. tit. 3. Obſ. 23. n. 5.* Furioſo inſuper aſſimilatur *enormiter ebrius*, qui ſcil. rationis uſu eſt privatus, adeoque illi quoque culpam nullam imputari poſſe arbitramur, quando cauſa ſibi ebrietatis non extitit. Ill. Dn. Lynck. *in Anal. ad tit. de priv. del. th. 10.* Qui autem inebriari conſvevit, illi merito omnia imputantur, Id. *c. l.* Præterea deficit uſus rationis in *dormiente*, qui licet in ſomniis ſurgendo quid committat, tamen ei nihil imputari poteſt; niſi forſan non ignoraverit, ſe hoc vitio laborare, nec tamen ei licitis remediis occurrit; tunc enim in culpa eſt. B. Dn. Struv. *Ex. 48. th. 10.* De *Infante* idem dicendum erit, quod de furioſo. *l. 5. §. 2. ad L. Aquil. l. 23. ff. de furt.* Sed quid de *impuberibus?* Equidem non negandum eſt, eos aliquatenus culpæ capaces eſſe. *l. cit. 23.* ſed hoc maxime in delictis attenditur: in hac autem materia potius dicendum eſt, nihil facile ipſis imputari poſſe, præſertim cum Tutoris autoritate omnia agant, & abſque ea geſta nulla ſint. *pr. J. de Autor. Tut.* Imo impuberes ſine Tutore agentes nihil ſcire poſſe intelliguntur. *l. ult. ff. de J. & F. ignor.* *Minori* tamen, cum rationis uſu non deſtituatur, culpam propriam imputari poſſe, dici poſſet, præſertim quando curatore deſtituitur: & quidem in nonnullis caſibus v. c. ubi is peritiam artis profitetur, vel veniam ætatis impetravit, hoc erit aſſerendum. Attamen, cum etiam adhuc imperfecto utatur judicio, & ſic juvenili levitate ductus, facile culpæ propriæ reus fieri poſſit, nec huic regulariter

Digitized by Google

culpa imputatur, ſed potius ei ſuccurritur remedio ſaluberrimo Reſtitutionis in integrum *t. t. ff. de Minor. ibique Dd.* De culpa vero loquimur, non de delicto dolo commiſſo, ibi enim minoribus nequaquam ſubvenitur. *l. 9. ff. eod.* Quanquam autem *mulieribus* propter imbecillitatem judicii ſæpius culpa propria non imputetur, ſed illæ variis in caſibus excuſentur, male tamen minoribus æquiparantur, nullibique eis ob imprudentiam reſtitutio indulgetur. Ill. Dn. Lynck. *in Anal. de minor. ſtatim in pr.* Hinc non ubique ab imputatione culpæ liberæ ſunt. Quid denique de *prodigo* ſtatuendum, facile apparet; quia enim huic etiam curator conſtituitur, cujus conſenſum is adhibere debet in negotiis ſuis, absque hoc ſane actus erit nullus, adeoque de culpa nihil dici poteſt, cum actus nullus nullos producere poſſit effectus. Quod ſi autem conſenſus adſit, & culpa committatur, potius illa curatori imputatur.

§. II. Hic jam pedem promovemus ad *Objectum* Imputationis culpæ propriæ, ubi rurſus ampliſſimus materiarum campus aperitur, ex quo tamen omnes decerpere floſculos nobis integrum non erit, reputantibus mente, quantis anguſtis incluſi ſimus cancellis. Interea tamen juvabit, ſumma ſaltim attingere jurium capita, & quæ palmam reliquis præripere videntur, breviter excutere. Non autem præpoſtere hoc Thema tractaturi videmur, ſi veſtigiis Imperatoris Juſtiniani in Inſtit. inſiſtentes methodum ejusdem obſervabimus. Videlicet *Imputatio Culpæ propriæ* locum habet in jure tam *rerum*, quam *perſonarum*. Jus PERSONARVM dependet ex earum *ſtatu*, qui triplex: *libertatis, civitatis & familiæ. L. ult. ff. de cap. minut.*

§. III.

§. III. Status *Libertatis* exhibet nobis *Dominum & Servum* cum jure, quod domino in ſervum competit. Hoc quanquam ſit ita eximium, ut *illibatum* id eſſe debere dicat Imper. *in* §. *2. J. de his, qui ſui vel ali. jur. ſunt.* tamen ibidem cautum, ut, qui eo abutantur, ſervos ſuos bonis conditionibus vendere cogantur, id quod ſibi imputare debent: nimia enim ſævitia culpa eſt *l. 6. ad L. Aquil.* Imo quem Dominus ob gravem infirmitatem pro derelicto habuit, in priſtinam reſtitutum valetudinem non poteſt vindicare, ſed is ſine manumiſſione ad libertatem venit. *l. 2. ff. qui ſine manum. ad libert. perven.* Sicuti autem Domini cauti & diligentes eſſe debent in ſervis eligendis, *l. un. ff. furt. adverſ. naut.* ita & factum eorum præſtare tenentur, cum domini ſibi imputare debeant, quod opera malorum hominum utantur. *arg. l. un. cit.* Simili ratione poſt manumiſſionem Domini, licet jus patronatus conſequantur, illud tamen amittunt, quoties libertum alere neglexerint. *l. 5. ff. de jur. Patron.* Struv. *Ex. 37. th. 59.* Hinc & ea amittit dominus, quæ liberto impoſuit libertatis cauſa, imo & hereditatem liberti. *l. 6. ff. de agnoſc. vel al. lib.* Nam Patronus libertum alere tenetur; ſicuti etiam alio caſu Patronus ad eccleſiæ reparationem, quoties ea opus eſt, concurrere debet. Ill. Dn. Lynck. *in Anal. ad Deſſel. L. 3. t. 38. Q. 1. in f.*

§. IV. Status *Civitatis* continet relationem inter cives, & eum, qui gubernaculum Reipubl. tenet. Ubi notandum venit, quod quilibet civis ſeu ſubditus etiam invito ſuperiore quidem poſſit juri Civitatis renunciare, alioque migrare, modo id fiat tempeſtive. *Intempeſtiva* enim *renunciatio* ſeu *immatura culpam ſapit.* vid. §. *13. cap. praced.*

Digitized by Google

præced. conf. H. Grot. *de J. B. ac P. L. 2. c. 5. §. 24. n. 2.* Tenetur vero quilibet civium Reipubl. opera ſua & maxime patrimonio ſuccurrere, adeo, ut etiam in ſummo neceſſitatis caſu Eccleſiæ & Academiæ non ſint immunes à refectionibus murorum, pontium &c. non ſufficiente ærario urbis, niſi Culpa quædam imputari poſſit Senatui urbico, v. c. ſi ſumtus ad alios uſus minus neceſſarios impenderit. Ill. Dn. Lynck. *in Anal. ad ff. de muner. & bon. th. 66.*

§. V. In Statu *Familiæ* res agitur inter patrem & filium. Hinc eſt jus Patriæ poteſtatis, quod oritur ex triplici jure, (1) NVPTIIS, quas plerumque *ſponſalia* præcedunt. Hæc cum ſub conditione poſſint celebrari, non aliter obligant, quam ſi conditio exiſtat; niſi forſan perſonæ, quæ adjecit conditionem, culpa quædam imputari poſſit, ut ſi in copulam carnalem conſenſerit; tunc enim præſumtione juris, & de jure conditio cenſetur remiſſa. *c. 6. X. de condit. appoſ.* Carpz. *Juriſpr. Conſiſt. L. 2. Def. 25.* adeo ut ne quidem proteſtatio proſit, quod à conditione recedere nolint. Cypræ. *de ſponſ. c. 8. §. 2. n. 5. & 6.* Nec etiam tam facile licet recedere à ſponſalibus, etiamſi ſint de futuro, quanquam in his facilius concedatur regreſſus, ita tamen, ut ſi per ſponſum ſteterit, quo minus ſponſam duceret, arrhas amittat, ſponſa autem, ſi hæc in culpa ſit, duplicatas reddere teneatur. conf. *l. 5. C. de Sponſal.* B. Dn. Struv. *Ex. 29. th. 11.* In binis Sponſalibus præferuntur priora, ſi æque ſint publica, nec aliter ſtatuendum, etiamſi ad poſteriora concubitus acceſſerit; quamquam diſſentiat Poncius *de matrim. L. 12. c. 14. n. 4.* Ipſius quidem ſententia benigna videtur; priori tamen ſponſæ jus non

aufe-

Digitized by Google

auferendum: Imputet enim ſibi ſponſa poſterior jacturam, quia nec tradere debebat corpus ſuum ſponſo citra inſtitutum ritumque eccleſiæ. Ill. Dn. Lynck. *in Anal. ad Deſſel. L. 4. t. 4. Q. 2.* Denique huc referas, quod ſponſalia poſſint diſſolvi ob abſentiam alterutrius, vel etiam ſævitiam ſponſæ vel ſponſi ante ignotam. Vallenſ. *ad tit. de Sponſal.* §. *4. n. 11.* Item, quod cum adjectum ſit certum tempus circa conſummandum matrimonium, elapſo eo, & reo in contumacia perſiſtente, innocens aliam ducere poſſit. Richt. *Dec. 8. n. 4.*

§. VI. Demum ſequuntur *Nuptiæ*, de quibus illud in genere annotamus ex §. *12. J. de Nupt.* quod, ſi aliqui non obſervatis requiſitis coierint, & ſic in culpa ſint, nec vir, nec uxor, nec nuptiæ, nec matrimonium, nec dos intelligatur. Sunt nimirum hæc nomina dignitatis, *l. 49.* §. *4. de Leg. 3.* quibus indignum ſe reddit, cui culpa imputari poteſt, quod contra requiſita legalia fecerit. Unde neglecto conſenſu parentum matrimonium erit illegitimum & liberi illegitimi. *l. 25. ff. de R.N. l. 12. C. eod.* Nec ratihabitio jam natos efficit legitimos. *l. 68. ff. de Jur. dot.* B. Dn. Struv. *Ex. 29 th. 23.* Imo ipſum matrimonium de jure civili nullum, *pr. &* §. *13. J. de Nupt.* & tantum abeſt, ut ſtupratæ injuriam inferat pater, qui ſuo jure utitur, *l. 155.* §. *1. ff. de R. J.* ut ſibi potius imputet fœmina, quod contra LL., quarum ignorantia ipſam non excuſat, ſe cum tali miſcuerit. Sand. *Deciſ. Friſ. L. 2. T. 1. d. 4.* In ſpecie autem obſervamus, matrimonium vi atque coactione contractum quidem nullum eſſe; *l. 14. C. de Nupt.* convalidari tamen, ſi pars innocens in culpa ſit, quod ſcilicet ultro cohabitaverit. *c. 23. X. de ſponſal. ibique* Panormit.: Neque tamen

facile

Digitized by Google

facile culpa propria hîc imputari debet in præjudicium vinculi indiſſolubilis, ſicuti admodum periculoſe ſtatuiſſe videtur Pontifex in *c. 6. X. de frig. & malef.* Nimirum ſi uxor impotens revera fuerit, & hinc matrimonio diſſoluto initoque alio, in hoc potens reperiatur, ceſſante impotentia modo naturali, diſpoſuit Pontifex, prius matrimonium redintegrandum eſſe. Et hanc diſpoſitionem quidem excuſare nititur Engel. *ad d. c.* quaſi non ſollicite maritus inquiſiverit in ejusmodi impedimentum. Verum poſito, (quanquam circumſtantiæ aliud evincant,) culpam mariti ſubfuiſſe, illa tamen ei non potuit imputari in præjudicium alterius conjugis. *l. 22. ff. de pœn. l. 22. de Negot. geſt.* cum inſuper prius vinculum fuerit legitime diſſolutum, & potenti facultas data ducendi aliam: *Qui igitur ſuo jure utitur, nemini facit injuriam.*

§. VII. Nuptiis *dos* ſolet accedere, ad quam pater tenetur ex officio, niſi forſan filia ſit indigna dote. Peretz. *in C. de dot. promiſ. n. 6.* Si autem ab extraneo conſtituatur, neceſſe eſt, ut definita fuerit: Si enim indefinita promiſſa, ſibi imputare debet maritus, quod eam ad definitum modum non redegerit, de jure enim poteſt denegari, quia promiſſio talis nulla eſt. *l. 1. C. de dot. prom.* Perez. *in C. ad d. l. n. 4.* Solent autem plerumque *de dote pacta* confici, quæ vel in vim Contractus, vel ultimæ voluntatis valent. Hinc ſi quis velit conficere pacta dotalia in vim Contractus, inque iis utatur verbis Teſtamenti, pacta iſta nequeunt ſubſiſtere. Imputet enim ſibi, quod non recte confecerit. Hahn. ad Weſemb. *tit. de pact. dotal. n. 4.* Imo quando quis pacta mixta, ſeu in vim ultimæ Voluntatis conficere vult, & tantum

tres

Digitized by Google

tres aut quatuor teſtes adhibet, nec tunc valebunt ex eadem rationes. Id. *l. c.* Similiter cum diſpoſitum ſit in *Nov. 127. c. 2.* maritum dotis, de qua pacta ſimplicia confecta, non aliter compotem fieri, quam ſi eam inſinuari curaverit, ſi nimirum ſit ultra 500. ſolidos, pacta non ſubſiſtent, niſi id, quod excedit 500. ſolidos, inſinuari fecerit. Conſ. B. Dn. Struv. *Ex. 30. th. 35.* Denique pacta dotalia in vim ultimæ voluntatis ita conficienda, ut expreſſe renuncietur L. Falcidiæ: hoc enim per incuriam omiſſo, & mortua altera parte ex conjugibus ſine liberis, heredes quartam detrahunt, cum alias nihil potuiſſent prætendere, dummodo cautio major in pactis dotalibus conficiendis fuiſſet adhibita; quanquam Dd. etiam hac in re inter ſe varient, uti videri poteſt apud Ant. Matth. *de Succeſſ. cum addit.* Struv. *cap. 8. §. 24.* & Schöpffer. *de Statu viduitatis.*

§. VIII. Pactis dotalibus non confectis, nec liberis exiſtentibus, diſſolutoque matrimonio, dos revertitur vel ad eum, qui pro muliere dotem dedit, ſi modo reddi eam ſibi expreſſe ſtipulatus aut pactus fuerit: hoc enim omiſſo, non poteſt repet. *l. un. §. 6. C. de R. U. A. N. 22. c. 39.* vel ad uxorem ejusve heredes, niſi culpa uxoris divortium factum. *l. 8. §. 5. C. de Repud.* Sibi enim imputet, quod cauſam dederit divortio. Hoc tamen non obſtat, quo minus maritus, dimiſſa uxore prægnante, partum alere teneatur, ſicuti hac de re ſpeciale SCtum exſtat. *t. t. de agn. & al. lib.* Nimirum, ubi ſoluto matrimonio mulier ſe putat prægnantem, intra 30. dies continuos denunciare marito debet, ſe ex eo eſſe prægnantem. Quod, ubi factum, nec maritus contra denunciaverit, eam ex ſe non eſſe prægnantem, cogitur partum agnoſcere & alere. *l. 1.*

E §. 4.

§. 4. & 14. *ff. d. t.* & ad id compelli poteſt. Barboſ. *part. 1. Rubr. ff. ſolut. matrim. n. 18.* Sibi enim imputet, quod neglexerit denunciationem. Et inde eſt, quod JCtus Ulp. non ſine ratione in *l. 6. ff. de his qui ſui vel. al. jur. ſunt*, disquirat, an non etiam in tali caſu, qui ibi habetur, culpa marito imputari poſſit?

§. IX. Commode huc denique quædam de *Secundis Nuptiis* adjicienda cenſemus. Nimirum uxorem ad ſecunda vota tranſeuntem amittere proprietatem rerum à marito ad ſe devolutarum, & retinere tantum uſumfructum. *l. 6. §. 1. C. de ſecund. Nupt. Auth. ſed ſi aurum eod.* Imputet enim ſibi, quod à defuncto marito conſenſum ſecundarum nuptiarum non petierit. Brunnem. *ad l. 3. C. de ſecund. nupt.* cum tamen ſecundæ nuptiæ in jure favorem vix ullum habeant. Vid. quæ infra *c. h.* §. *16.* notavimus, quæ huc etiam referenda.

§. X. (II) Patria poteſtas oritur ex ADOPTIONE, *pr. J. de adopt.* de qua notamus, quod impubes arrogatus non recte exheredari aut emancipari ſine juſta cauſa poſſit; alioquin pater adoptivus jubetur *quartam* partem ei *omnium bonorum* relinquere, §. *3. J. de adopt.* non enim debet pater adoptivus conſilium ſuum in filii arrogati injuriam mutare. *l. 75. ff. R. J.* Et ſibi imputet, quod hunc ſibi adoptaverit, cum tamen ſciverit, vel ſcire debuerit, ad tempus filium adoptari non poſſe, multo minus injuſte exheredari aut emancipari. *l. 34. ff. de adopt.* Imo qui adoptivum ſemel emancipavit, redadoptare eundem nequit: diſplicet enim Legibus nimia inconſtantia & variatio adoptantis. Brunnem. *ad l. 37. ff. de adopt.*

§. XI. Patria poteſtas (III) conſtituitur per LEGITIMATIONEM, & maxime illam, quæ fit per ſub-

Digitized by Google

ſubſequens matrimonium, ad quam de jure Civ. neceſſario Inſtrumenta dotalia requiruntur, *§. f J. de Nupt. §. 2. J. de hered. quæ ab int. Nov. 12. c. 4. Nov. 18. c.* 11. ut conſenſus nuptialis eis declaretur, & filium jam in poteſtatem redactum eſſe, firmiter concludi poſſit: his enim non confectis, filius in poteſtate patris dici vix poterit, nec legitimatio ullum effectum habebit, quippe quæ nulla. Ill. Dn. Lynck. *in Analect. ad ff. de his qui ſui vel alien. jur. ſunt th. 50.* Hodie vero illa non amplius deſiderari, annotat Id. *in Comment. ad tit. cit. th. 10.*

§. XII. In poteſtate conſtitutis opponuntur, qui *ſui juris* ſunt; qui vel in *tutela curave* ſunt, vel *neutro jure* tenentur. Impuberes in tutela ſunt, & ut tutores conſtituantur, proſpicere quibusdam incumbit. Nimirum *mater & avia* ad hoc maxime tenentur; *l. 1. qui pet. Tut. vel Curat.* quodſi enim negligant intra annum petere Tutores, ſe reddunt indignas ſucceſſione filii, tam quæ eſt ex jure communi, quam quæ ex ſtatutario, imo privantur ipſa legitima. Montan. *de Tut. c. 18. n. 9 & 10.* Præterea præter matrem omnes, qui impuberi quovis modo ſuccedere poſſunt, petere debent, alioquin & ipſi ſucceſſione privantur. Brunn. *ad l. 10. C. de Legit. hered.* Si vero poſt petitionem legitime intervenientem delata ſit Tutela, illa à Tutore ſtatim ſuſcipienda, alioqui ceſſat ſuo periculo, & damnum præſtare debet: merito enim ſua cuique mora imputatur, jam autem moram hic tutor nectit in non adminiſtrando. Brunn. *ad l. 1. §. 1. ff. de admin. & peric. Tut.* Porro ſuſcepta tutela fideliter eſt gerenda & ita bona adminiſtranda, ne qua in re culpa imputari poſſit Tutori. Incurrit enim culpam v. c. (1) ſi pecuniam, ubi commodum apparet, non collocet, nam tum ipſe ad

 uſu-

uſuras tenetur. *l. 24. C. de Uſur.* Gutierez. *p. 2. c. 9.* Schurf. *1. Conſil. 36.* Mev. *7. dec. 200.* Deinde, ſi actiones pupilli non inſtituat, tunc enim omne detrimentum reſarcire tenetur. *l. 28. pr. C. de admin. Tut.* (3) Si debita non exigat. Unde ſi debitores fiunt inidonei, & Tutori ob id culpa imputari poſſit, nomina ipſius periculo ſunt. Brunn. *ad l. 18. C. eod.* Mev. *8. Deciſ. 78. n. 7.* (4) Si potius in detrimentum, quam commodum pupilli contrahat. Differt tamen omnino culpa in contrahendo commiſſa, ab ea, quæ in exigendo committitur. Nam in nominibus à Tutore contractis ipſemet probare tenetur, tempore pecuniæ mutuo datæ nomen fuiſſe idoneum. Si autem allegetur, debitum ob negligentiam tutoris in non exigendo commiſſam deterius & inidoneum eſſe factum, pupillus probare tenetur negligentiam, quippe quæ regulariter non præſumitur. Carpz. *p. 2. C. 11. def. 26.* Incurrit porro culpam Tutor (5) ſi collegam non ſuſpectum poſtulaverit, maxime cum ſit honorarius; tunc enim tenetur in ſubſidium. *l. 1. §. 15. de tut. & rat. diſtr.* B. Dn. Struv. *Ex. 31. th. 39.* (6) Si inique denegaverit autoritatem pupillo: læſus enim pupillus tutelæ judicio hanc jacturam conſequitur. *l. 17. ff. de aut. & conſ. tut.* (7) Si ſe offerat tutor; tunc enim & leviſſimam culpam præſtare tenetur &c. Sic & magiſtratus culpam incurrit, quando vel non idoneos dederit, vel cautionem ab iis non exegerit. Anton. Fab. *in C. L. 5. tit. 41. def. 3.* Carpz. *p. 2. c. 11. d. 4. n. 4.*

§. XIII. In jure RERUM etiam non adeo pauca occurrunt, quæ huc faciunt. Eſtque illud vel *in re* vel *ad rem*. Juris IN RE prima ſpecies eſt DOMINIUM, quod acquiritur modis vel *naturalibus*, vel *civilibus*. Ad modos *naturales*, & quidem *occupationem*, pertinet quæſtio:

Digitized by Google

ſtio: unde principes *jus occupandi feras beſtias* ſibi ſolis arrogaverint, cum tamen conſtet, eas de jure naturali eſſe nullius? Equidem ad ſuperioritatem principum æquitatem prohibitionis Dd. referunt. vid. Ill. Dn. Lynck. *in Anal. ad ff. de acquir. rer. dom. th. 8.* Bachov. ad Treutl. *Vol. 2. d. 20. th. 3. l. a.* Verum & à parte ſubditorum cauſæ dantur, ob quas promiſcuum venandi jus prohibitum. Cum enim omne nimium vertatur in vitium, & cum illo jure quilibet uteretur, inde ab aliis negotiis magis neceſſariis avocabantur ſubditi, agriculturam deſerebant, proclivesque ad petulantiam & laſciviam reddebantur merito culpa eis etiam hic imputari poteſt, ob quam eo jure, quod antea ipſis naturali libertate competebat, ſint privati, cum & abuſus jus privatorum minuat: nam expedit reipubl. ne quis re ſua male utatur. §. 2. *J. de his qui ſui vel al. jur. ſunt.* conſ. Weſenb *ad tit. de acq. rer. dom. n. 5.* Bachov. *c. l.* Naturaliter deinde acquiritur etiam per *alluvionem*, §. *20. J. de R. D.* quæ ſumma nititur æquitate. Quanquam enim nemo fieri debeat locupletior cum alterius jactura, *l. 206. ff. de R. J.* non tamen damnum ſentire videtur, qui in culpa eſt. Eſt autem hic alter in culpa, cujus agro detrahitur, & alterius adjicitur, quod agros non munierit. vid. B. Dn. Struv. *Ex. 41. th. 24. n. 3.* Porro circa *inædificationem* in ſolo alieno non raro etiam culpam imputari poſſe, docet manifeſte §. *30. J. de R. D.*, de qua tamen jam ſupra *c. 2.* §. *8.* quædam tetigimus. Inde etiam eſſe arbitramur, (cum ſcil. plerumque culpa ædificanti in ſolo alieno imputari poſſit) quod non poſſidens, exſtante tamen adhuc ædificio, remedium in jure nullum habeat, quo impenſas petere poſſit, *l. 48. & 59. ff. de R. Vind.* it. ſi poſ-

ſideat, non poſſit agere ad intereſſe, licet carere re ſua invitus cogatur, cum econtrario in caſu converſo (vid. §. *cum in ſuo. 29. de R. D.*) detur actio in duplum *de digno juncto*, quæ *rei perſecutoria* eſt, & ſimul *intereſſe* complectitur, eo, quod Dominus re ſua invitus carere debeat. B. Dn. Struv. *Ex. 48. th. 30.* Imo ne quidem recipiat materiam diruto ædificio, ſi ædificaverit ſine probabili cauſa, auf ein bloſſes Wagniß. Ill. Dn. Lynck. *in anal. ad* §. *31. J. de R. D.* Denique *traditio* huc ſpectat, quæ requirit titulum, ex quo fieri debet. Unde absque titulo tradita res cenſetur donata, nec propterea repeti poteſt, *l. 53. ff. de R. J.* licet forſan ea mente tradita, ut poſtea repeteretur. *l. 50. ff. de cont. indeb.* Cur enim tradidit rem ſcienter, quam tamen ad alterum nullo jure ſpectare noverat? Damnum ergo ſua culpa ſentit.

§. XIV. Ex acquiſito dominio competit rei vindicatio, qua non tantum ipſam rem, verum etiam ejus fructus pro diverſitate circumſtantiarum petimus. Et quidem fructus perceptos quod attinet, m. f. poſſeſſor, non tantum hos, ſed etiam percipiendos reſtituere tenetur. *l. 22. C. de R. Vind.* B. F. autem poſſeſſor conſumtos ſuos facit, neque eos poteſt vindicare Dominus, etiamſi alter inde ſit locupletior factus: Eſt enim in bona fide, quæ idem præſtat, quod dominium; *l. 136. ff. de R. J.* & imputet ſibi dominus, quod non citius vindicaverit: damnum ergo quod ſua culpa ſentit, ſentire non videtur. B. Dn. Struv. *in Evol. Ex. 11. th. 23. n. 3.* Add. Fachin. *controv. L. 1. c. 57.* Thom. *de Fructibus c. 4.* §. *2.* Dn. Engelbrecht. *comp. jur. Ex. 6. th. 15.* Hahn. ad Weſenb. *de R. vind. n. 7.* Richt. *Vol. 2. conſ. 66. n. 18. & conſil. 360.*

Digitized by Google

ſil. 360. n. 7. Harprecht. *ad J. §. 36. de R. div. n. 66.* Esbach. in Carpz. *p. 3. C. 33. d. 28.*

§. XV. Inter *modos civiles* eminet VSVCAPIO, quæ huc quoad partem haud exiguam deducenda. Cum enim negligentia nonnullorum dominorum tanta reperiretur, ut etiam per tempus longum in res ſuas inquirere negligerent, negligentiæ ejusmodi non fuit indulgendum, nam ſalus publica ſvadet, vel potius exigit, ne dominia rerum ſint in incerto. Ideoque *in odium negligentis Domini* & res ſuas minus diligenter cuſtodientis recepta eſt hæc uſucapio. *l. 1. ff. de Uſuc.* adeo, ut ſi v. c. vaſallus intra ſtatuta tempora feudi Renovationem petere ceſſet inexcuſabili incuria aut negligentia, feudum perdat: quamdiu enim vaſallus dormit, vigilat dominus. Roſenthal. *c. 6. concl. 56. & 57.* Quanquam vero non ubique Præſcriptio contra negligentes exerceatur, ſed etiam ad b. f. poſſeſſorem reſpiciatur, quem *bona fides* & *juſtus titulus* tueri debet, Ill. Dn. Lynck. *in Anal. ad pr. J. de Uſuc.* tamen plerumque priores poſſeſſores in culpa ſunt, cum vix ſit, quod ignorantiam allegare poſſint. Quomodo enim quis prætendere poteſt juſtam ignorantiam, qui neglexit per tantum temporis ſpatium in res ſuas inquirere? neque enim fieri poteſt, ut multo tempore res ad aliquem pertinens non aliqua via ad ejus notitiam perveniat, cum multas occaſiones ſubminiſtret tempus? H. Grot. *de J. B. ac P. L. 2. c. 4. §. 6.* Unde nec reſtitutio ex capite ignorantiæ datur contra præſcriptionem. Fachin. *1. cont. 59.* Scotan. *D. 21. th. 14.* Gail. *2. obſ. 19. n. 18.* Minores autem non opus habent reſtitutione: nam dormit reſpectu illorum præſcriptio, quia, ut ex §. *1. h. c.* conſtat, ipſis culpa imputari nequit. *l. 3. C. quib. non obj. long. temp.*

temp. præſcr. Quod vero diximus in hac materia ad b. f. poſſeſſorem etiam reſpici debere, illud ad præſcriptionem longi temporis referendum: In præſcriptione enim longiſſimi temporis ratione formæ reſpicitur potius ad negligentiam agere ceſſantis, præcipue, ubi ſolus lapſus temporis attenditur absque ulla qualitate poſſeſſionis. B. Dn. Struv. *Ex. 43. th. 20.* ubi denique ſubnectit, hanc præſcriptionem locum habere, non propter alicujus juris acquiſitionem, ſed propter *negligentiam* alterius. Exemplum elegans eſt in debito chirographario, cui præſcribitur 30. annis. Rationem quidam Dd. hanc ſupponunt, quod debitor præſumatur in b. f. conſtitutus. Enimvero hæc præſumtio fundamento ſuo deſtituitur: Debitor enim chirographum ſuum vel recognoſcit, vel diffitetur. Si recognoſcit, nihilominus exceptione præſcriptionis tutus eſt. Ubi hic ergo bona fides poteſt allegari? Hinc *ſola negligentia* nititur hæc præſcriptio, quam creditor ſibi imputare debet. Negligentibus enim non ſubveniri à LL. ſupra *c. 2.* §. *2.* notatum. conf. Franzk. *3. Reſol. 13.* Magna quippe ſine dubio negligentia eſt, diu non petiiſſe, ſeu non exegiſſe nomen. Mev. *p. 8. Deciſ. 78. n. 4.* Et huic fundamento etiam reliquarum Actionum præſcriptionem eſſe ſuperſtructam, notat. Ill. Dn. Stryck. *in Expoſ. ſynopt. mat. de præſcr. Act. Sect. 1. ax. 1. ſtatim in pr.* Qui enim neglexit, ſciat, in ſuum damnum negligentiam reverſuram eſſe *l. un. C. de SCt. Claud.* Quando vero nulla negligentia vel culpa actori, ſeu ei, qui jus agendi habebat, imputari poteſt, nec præſcriptio currit, niſi demum à tempore ceſſantis impedimenti. Sic juri revocandi Feudum alienatum in præjudicium agnatorum non præſcribitur, niſi

à tem-

Digitized by Google

à tempore delatæ ſucceſſionis. B. Dn. Struv. *Synt. J. Feud. c. 13. aph. 16. n. 1. in f.* Denique non prætermittendum eſſe ducimus, quod etiam aliquando rebus, quæ alias uſucapionem effugiunt, per noſtram culpam & negligentiam præſcribatur. Nam *res meræ facultatis* à præſcriptione eſſe immunes, expeditiſſimi juris eſt: & nihilominus tamen his præſcribitur, ſi alicui pro lubitu actum celebraturo alter prohibuerit, atque iſte prohibitioni per incuriam acquieverit: ut, ſi quis feneſtram facere in ſuo, quod cuilibet ex naturali libertate licet, *l. 24. ff. de Serv. U. P.* prohibitus fuerit, & hic nihil contra fecerit. H. Grot. *de J. B. ac P. L. 2. c. 4. §. 15.*

§. XVI. Referri etiam ad modos *civiles* certa ratione poteſt DONATIO: in qua materia non multa occurrunt, ubi *donanti* Culpa quædam imputari poſſit, quia benignius agi debet cum eo, ob ejus liberalitatem. Unde nec uſuras poſt moram præſtat, nec fructus exſtantes, Weſenb. *ad tit. de donat. th. 12.* B. Dn. Struv. *Ex. 40. th. 12.* nec evictionem. Franzk. *ad tit. de Evict. n. 174.* Illud tamen notari meretur, quod, quamvis alias donatio ex ingratitudine poſſit revocari, id tamen denegetur matri, quæ ad ſecundas tranſiit nuptias, vel libidinoſe vixit. *Quis enim eſt*, ſubjungunt Impp. *in l. 7. C. de Revoc. don. qui his aliquid arbitretur tribuendum eſſe.* Quanquam enim ſecundæ nuptiæ in ſe non ſint illicitæ, jure tamen Civili odiis graviſſimis ſunt obnoxiæ. vid. Magnif. Dn. Müller. *diſſ. de odio ſecund. nupt.* Imputet ergo ſibi mater, quod egerit contra ea, quæ in jure odioſa ſunt. A parte Donatarii culpæ imputatio frequentior eſt: ut ſi donationem ſimplicem, quæ eſt ultra 500. ſolidos inſinuari non curaverit, ductus vani amore lucri, & donantis

 effuſis

effuſis largitionibus nimium indulgens. Invalida enim eſt donatio, non quidem in totum, ſed in tantum, in quantum eſt contra LL. In tantum enim duntaxat donatario culpa imputari poteſt *l. 53. §. 3. l. pen. §. ult. C. de donat.* conſ. diſſ. Rhet. *de damn. volunt. c. 6. §. 1. & 2.* Porro donatio ſub modo facta revocari poteſt, ſi modus non impleatur propter fidem ruptam. *l. 3. C. de cond. ob cauſ.* ſi autem pure inter vivos fuerit facta, ſed donatarius per incuriam quandam negligat illam accipere, ſibi poſtea imputare debet, quando donans rem donatam revocat, vel ante acceptationem moritur. Ante eam enim non obligatur donans, *l. 38. ff. de acquir. vel amitt. poſſ.* Peretz. *in C. de donat. n. 13.* nec acceptatio poſt mortem quid juris tribuit, *l. 10 de donat.* E contrario ſubſecuta acceptatione, donatio ita valida eſt, ut non poſſit revocari. Sufficit autem quandoque & tacita acceptatio, ita ut donator non poſſit opponere, rem donatam non fuiſſe acceptatam, ſicuti in terminis aliquando in Hungaria contigiſſe ex certiſſimorum hominum relatione novi, ubi hic caſus accidit: Inter ferales ruinas & ignes Turcarum etiam domus cujusdam Paſtoris ſolo æquata erat, quam tamen poſtea ipſe propriis ſumtibus in priſtinum reſtituit ſtatum, affigens foribus ædium hæc pauca: REDONO HANC STRVCTVRAM HVIC ECCLESIAE, ea forſan mente, quod per dies vitæ has inhabitare ædes velit. Poſtea præter ſpem & opinionem domum commutat, novas quærens ſedes, & inſuper repetit ſumtus in ſtructuram factos. Quæſitum fuit, an jure repetere poſſit? & quantum ego quidem memini, deciſum fuit, ipſum nil poſſe repetere, ſed potius ſibi imputare debere, quod ejusmodi legem ſibi præſcripſerit, affigendo verba

foribus

foribus ædium donationem repræſentantia, quam & Eccleſia tacite acceptavit. Imo quamvis quilibet ſit interpres verborum ſuorum, (id quod Eccleſiaſtes maxime urſiſſe fertur) verba tamen ipſa ſunt clariſſima, & contra ipſum teſtantur. Verba enim debent intelligi ſecundum communem uſum loquendi & propriam ſignificationem, *l. 52. §. 4. de Leg. 3. l. 69. eod.* & cum effectu. *l. 1. §. 2. quod quisque jur. l. pen. §. 2. Nequis eum &c.*

§. XVII. Sequitur jam SERVITUS, quæ ſicuti per alterius negligentiam ſeu patientiam longiſſimo tempore poteſt acquiri ab eo, qui quiete ea per tempus legitimum eſt uſus; ita etiam legitime conſtituta per negligentiam amitti poteſt. *l. 35. ff. de Serv. P. R.* verb. *quod jus non negligentia aut culpa ſua amiſerat.* Quanquam enim ex non-uſu neceſſario non extingui jus, Dd. nonnulli aſſerant; limitat tamen illud recte Menoch. *Remed. 6. Retin. poſſ. n. 149. & ſeq.* niſi *culpa* ei, qui habet jus, *imputari poſſit.* Amittitur ergo ſervitus, quando quis *vel* (1) *plane non utitur ſervitute*, modo culpa ipſi imputari poſſit: unde non amittitur, ſi caſus non acciderit, quo uti licuiſſet ſervitute *l. 31. 34. & 35. de Serv. P. R.* Carpzov. *2. 32. 18.* Mev. *2. dec. 1. n. 5. vel* (2) *non jure ſervitutis* & non debito modo, *vel* (3) in *ſervitutibus urbanis negligit impedire, quod alter contra ſervitutem impoſitam facit.* Idem obſervatur in amiſſione ſervitutis perſonalis, ſcil. uſusfructus. Qui enim culpoſus & negligens in uſu eſt, merito jure ſuo privatur. Struv. *Ex. 12. th. 34.* Nec hoc infrequens eſt in aliis juribus & privilegiis, quæ non uſu etiam amittuntur. Quanquam enim illimitatum privilegium de non-appellando habuerint Electores, vigore A. B. *tit. 8.* tamen reliqui præter Saxonem & Brandenburgenſem illud non-uſu

Digitized by Google

amiſerunt, ut propterea per R. I. *de Anno 1654.* denuo privilegium hoc cæteris reſtitui oportuerit. Ill. Dn. Lynck. *in anal. ad Swed. Sect. 1. c. 11. §. 2.* Diſſent. Limn. *ad A. B. c. 11. §. 2. obſ. 1.* & Myler. *in Addit. ad Rumel. p. 2. D. 2. th. 2.* conf. Pirrhing. *Sect. 6. de privil. §. 3. n. 175. ſeq.* ubi docet, qua ratione privilegium *per non uſum* amittatur. Item Svaretz. *de LL. L. 8. c. 33. 34. & 35.* Circa uſumfructum adhuc notamus, quod, quanquam pater regulariter uſumfructum habeat in liberorum bonis adventitiis, non tamen eum prætendere poſſit, quando filio ultima voluntate quid relictum, & ipſe patre in acquiſitionem non conſentiente illud nihilominus acquirat *l. f. §. 6. C. de bon. quæ lib.* Ad beneficium enim, quod ſemel pater repudiavit, non poteſt redire. *l. 14. §. 9. de Ædil. Edict.* id quod ſibi imputare debet.

§. XVIII. Progredimur ad JUS HEREDITARIUM, quod defertur vel *ex teſtamento*, vel *ab inteſtato*. Si *ex teſtamento*, ante omnia requiritur, ut teſtamentum non tantum *quoad voluntatem*, ſed etiam, *quoad ſolennitates* ſit perfectum. Quæritur proinde, an teſtamentum ob non ſervatas à teſtatore ſolennitates ita nullum dici poſſit, ut etiam ſuccedens ab inteſtato non obligetur in foro interno, ad illud ſervandum? Quæ quæſtio, quanquam à Moraliſtis haud paucis in dubium vocetur, rectius tamen à B. Dn. Struv. *Ex. 32. th. 16.* affirmatur, & rationibus ponderis magni ſtabilitur. Defuncto quippe culpa imputari poteſt, quod neglexerit jus Civile, dum in ordinando eo, quod fieri poſt mortem voluit, requiſita jure præſcripta non obſervaverit. Teſtamentum enim requirit voluntatis noſtræ ſententiam

juſtam

Digitized by Google

juſtam h. e. quæ ſecundum regulas juris de Teſtamentis eſt expoſita. *l. 4. ff. qui teſtam. fac. poſſ.* Bocer. *claſſ. 5. diſp. 1. th. 10. in not. lit. d.* Ubi ergo non eſt juſta ſententia, ibi non eſt teſtamentum. Hinc jam ſua ſponte fluit, nec teſtamentum coram minori numero teſtium confectum in foro animæ obligare, licet hic diſſentiat Bachov. ad Treutl. *vol. 2. diſp. 10. th. 5. lit. A.* & Treutlerum optime ſtatuentem rationibus multis refutare conetur. Quodſi tamen teſtamentum quidem in ſe ſit nullum, teſtatori autem culpa nulla imputari poſſit, ex æquitate ſuſtinetur, cujus rei elegans exemplum eſt *in* §. *7. J. de Teſtam. ordin.* An autem renunciando expreſſe ſolennitatibus & ſubtilitatibus juris, nulla ipſi culpa imputari poſſit? quæritur. Sed nec hoc caſu ipſum culpa vacuum eſſe dicimus, quoniam teſtamenti factio eſt *juris publici. l. 3. ff. qui teſtam. facere poſſ.* Qui autem talia, quæ ſunt juris publici immutare laborat, merito culpam incurrit, ita ut teſtamentum non ſubſiſtat. *arg. l. 45. ff. de R. J.* Nemo enim poteſt in teſtamento ſuo cavere, ne Leges in eo locum habeant. *l. 55. de Leg. 1.* Quod ſi tamen renunciationi illi Clauſula codicillaris ſubſit, qualis eſt in *l. 88.* §. *17. de Leg. 2.* verb. *pro jure legitimo haberi debet hominis ſani voluntas*, in mitiorem partem voluntas teſtatoris trahenda. Brunn. *ad d. l. 88. n. 15.* Legitimo modo confectum demum vires habet tam *ſcriptum*, quam *nuncupativum*. Poſterius tamen cum magnis ſit involutum impedimentis, rectius teſtator, ut nulla culpa ei imputari poſſit, fecerit, ſi inſtrumentum publicum de iſto conſcribi curaverit. Hoc enim neglecto ſæpe voluntas exitum habere nequit. Carpz. *6. Reſp. 13. n. 4.* & infinitum foret, omnes recenſere caſus,

Digitized by Google

quo culpa imputari poſſit: generaliter enim hic concludimus, toties teſtatori culpam imputari poſſe, quoties requiſita legitima non obſervat, quæ tamen obſervare potuiſſet & debuiſſet. vid. *t. t. ff. de inj. rupt. irr. fact. teſt. it. de his quæ in teſt. del. &c.*

§. XIX. Heredi etiam varia ratione culpa imputatur propria, ut non poſſit hereditatem capere, imprimis, quando poſt teſtamentum conditum *teſtator in furorem incidit*, & tamen *heres eum negligit*, tunc enim transfertur hereditas in alios, à quibus poſt denunciationem negligentibus factam cura ſuſcepta eſt. *Nov. 115. §. ſi quis prædictis.* De his, qui manifeſtiſſime comprobati ſunt id egiſſe, ut *per negligentiam & culpam ſuam teſtator moreretur*, ſupra *cap. 2. §. 2.* jam actum. His accedunt, qui *mortem defuncti vindicare negligunt:* Dicitur enim hoc debitum pietatis officium eſſe in *l. 21. §. ult. ff. de SCt. Silan.* quod non convenit prætermittere. Ill. Dn. Stryck. *tr. de ſucceſſ. ab inteſt. diſſ. 12. c. 1. th. 15.* alias in pœnam negligentium heredum locum habet SCtum Silanianum, quod nec moribus abrogatum eſſe, erudite oſtendit Ill. Dn. Lynck. *in anal. ad ff. tit. ad SCt. Silan. th. 50.* conſ. *l. 22. de SCt. Silan.* Sic & *nimiæ blanditiæ inſtantes & ſæpius repetitæ* nocent. Sand. *4. tit. 1. def. 11.* quanquam modicæ non officiant. *l. 70. de her. inſtit. l. f. C. ſi quis al. teſt.* A culpa porro non immunis eſt, qui *recuſat ultimam voluntatem defuncti implere.* Cur enim, ait Papin. in *l. 55. §. 3. ff. ad SCt. Treb.* conſequatur aliquid ex ipſius voluntate, quid deſtituit ſupremas defuncti preces? Hinc fiduciario recuſante adire hereditatem, deſideranti fideicommiſſario, reſtitui ſibi hereditatem, reſtituenda eſt, ita tamen ut lucrum Trebellianicæ apud fidu-

Digitized by Google

fiduciarium non remaneat. §. 7. *J. de Fideic. hered.* Præterea nec heres poteſt illud petere, quod ipſe *ſibi in teſtamento adſcripſit ; l. 1. ff. de his quæ pro non ſcr. hab.* etiamſi ex voluntate teſtatoris ſcripſerit. *l. 3. de his qui ſibi adſcr.* Beſold. *c. 284. n. 13.* Carpz. *3. 3. 9.* culpa enim non vacat, qui ne quidem fraudis evitat ſuſpicionem: nec ignorantia hic allegari poteſt, quæ potius culpæ annumeratur, ut propterea Anton. Imp. in *c. l. 3.* deprecantibus ob ignorantiam, veniam raro datam fuiſſe, ingenue fateatur. Culpæ quoque reus eſt, *qui neglexit adire hereditatem*, maxime ſi juri adeundi jam ſit præſcriptum. *arg. l. 7. C. de petit. hered.* B. Dn. Struv. *Ex. 33. th. 52.* Deinde qui *ſemel hereditatem adiit*, poſtea relinquendæ hereditatis facultatem non habet. §. 5. *J. de her. qual. & diff. l. ult. C. de Repud. vel abſtin. her.* & *qui ſemel repudiavit* eam poſtea acquirere nequit. *l. 4. C. eod.* Denique in culpa heres eſt, *ſi Inventarium non confecerit:* tunc enim creditoribus hereditariis tenetur in ſolidum, etiam ultra vires hereditatis, ita ut etiam legitimam & ipſam Falcidiam perdat. *l. ult.* §. *14. C. de jure delib.* Wieſenb. *ad tit. de jure delib. th. 21. 22. 23.* Licet autem confecerit inventarium, tamen quicquid *ex mora* heredis damni hereditati accidit, id præſtandum eſt. Franc. de Clapperiis *p. 2. dec. cauſa 59.*

§. XX. *Subſtitutionem* quod reſpicit, *pupillaris* quidem ſemper requirit teſtamentum paternum. §. *5. J. de pupill. ſubſt.* ſi autem pater ſibi non fecit teſtamentum, de ſe queri debet, ſi poſtea teſtamentum invalidum declaretur & ipſius voluntas non habeat exitum. Vinc. Fuſar. *de ſubſt. Q. 118. n. 48.* Idem dicendum, ſi paganus ultra puberem ætatem verbis directis ſubſtitutum

dederit:

dederit: pubertate enim filii exſpirat ſubſtitutio Brunn. *ad l. 7. ff. de Vulg. & pupill. Subſt.* Non enim vires habet, quod pater contra LL. diſpoſuit. Elegans quoque occurrit caſus in *l. 22. ff. de vulg. & pup. ſubſt.* ubi emancipatus erat à patre præteritus, ſed idem tamen ſubſtitutus filio teſtatoris impuberi. Mortuo patre petit Bonorum poſſeſſionem contra tabb., quo ipſo amittit ſubſtitutionem. Judicium enim patris impugnavit. Brunn. ad *d. l. 22.*

§. XXI. Ad *legata* & *fideicommiſſa* transgredimur. Ibi ante omnia illud legatum, quod quis ipſe ſibi in Teſtamento adſcripſit, inutile dicimus. *l. 1. de his quæ pro non ſcr.* Eadem ratione legatum amittit legatarius, quando in fraudem heredis celat teſtamentum, & tunc illud heredi applicatur. Brunn. *ad l. 25. C. de leg.* Poſſunt vero variæ res corporales & incorporales legari, imo etiam ipſa *Electio*, & tunc ſemel facta electione variatio poſt nulla admittitur. *l. 20. de opt. vel el. leg.* Brunn. *ad l. 8. ff. de legat.* ſi enim male elegerit, ſibi illud imputet, cum mala electio ſit culpa. *vid.* §. *14. cap. præced.* Similiter, quando teſtator uni relinquit v. c. equum, quem optaverit, hic autem nondum facta electione deceſſerit, & ſic ad heredes ſuos jus optandi pervenerit, diſſentientibus heredibus, conſtituit Juſtin. in *l. ult. C. commun. de legat.* ut diſſenſus dirimatur ſorte, & res legata in illius permaneat Dominio tota, cui ſors optandi jus detulit, altero æſtimationem partis ſuæ accipiente. Nec illud eſſe iniquum, docet erudite Brunn. *ad l. c. n. 2. cum ſibi alter imputare debeat, quod diſſenſerit & ſorti rem commiſerit.* Si vero genus legatum ſit, illudque ſua natura non habeat determinatam quantitatem, illa eſt

expri-

Digitized by Google

exprimenda, alias legatum non valebit. B. Dn. Struv. *Ex. 35. th. 16.* Aliud eſt, ſi qualitas legato non ſit adjecta, tunc enim ſpeciem quidem, quam velit, poteſt eligere, ita tamen, ut non eligat optimam. *l. 45. §. 4. de Leg. 1. l. 43. §. f. de Leg. 2.* Nec ad rem facit, quod aliud obtineat in debitis ex contractu. Nam ibi imputet ſibi creditor, ſeu is, cui quid promiſſum, quod non curaverit, qualitatem rei exprimi. Hic autem legatario nihil poteſt imputari, præſumitur potius favore ultimarum voluntatum ac heredis, ut mediocre ſaltim legatario præſtetur. B. Dn. Struv. *in Evol. Ex. 35. th. 16.* Præterea, cum alias, qui voluntatem ultimam impugnat, legatum ſibi relictum perdat, *l. 5. & 7. de his quæ ut ind. auf. l. 8. C. eod.* illud tamen minime locum habet, ſi legatario nulla culpa poſſit imputari, ut eſt caſus in *l 8. C. de Leg.* ubi tutor miles datus, eique legatum relictum. Licet enim hic contra voluntatem defuncti recuſaverit tutor eſſe, cum etiam nec volens admittatur, legatum tamen petere poteſt. conf. §. *5. J. de inoff. teſt.* Legatum ergo heres, qui adeundo ſe ad hoc obſtrinxit, legatariis præſtare tenetur, & ne culpa quædam, dum rem adhuc poſſidet & cuſtodit, ipſi imputari poſſit, bene præcavere debet. *l. 47. §. pen. de Leg. 1.* quia in re aliena, cujus vindicatio alteri competit, cuſtodienda diligentiſſimi eſſe debemus. Ill. Dn. Lynck. *in Anal. ad §. 16. J. de Legat.* Hinc ſi caſu fortuito legatum pereat, heredi nihil poteſt imputari. *l. 22. §. 3. ad SCt. Trebell.* Philipp. *tit. de legat. Eclog. 96.* Quod ſi autem ei culpa quædam imputari poſſit, quod forſan in mora præſtandi fuerit, à tempore moræ ipſius periculo perit. *l. 3. C. de Uſur. & fruct. l. cit. 47. l. 26. de Leg. 3.* Peregrin. *art. 4. n. 54.*

Digitized by Google

§. XXII. Ad legata pertinet *L. Falcidia*, vi cujus heres quadrantem detrahere de legatis poteſt, ſi hunc ſalvum non habeat. *pr. J. de L. Falc.* Si quis autem ſciens vel in jure errans integra legata ſolvat, putans fortean, ſe ad hoc eſſe obſtrictum, imputet ſibi, ſi poſtea nihil poteſt repetere, voluntate enim heredis errantis legatarius nactus eſt poſſeſſionem, inquit Paul. *in l. 1. §. 11. ad L. Falcid. l. 9. §. ult. C. eod.* Et quod ultra dodrantem ſolvit, habetur pro donato. Licet enim Falcidia minuat legata, id tamen non aliter obtinet, quam ſi heres velit. Hinc qui ſolvit integra legata, remiſiſſe videtur Falcidiam. Brunn. *ad l. 1. C. ad L. Falcid.* Et hoc in tantum obtinet, ut ſi quis uni ſolverit integra legata, ſciens bonorum quantitatem, teneatur etiam reliquis ſolida præſtare. *Nov. 1. c. 3.* Wieſenb. *tit. ad L. Falc. th. 21.* Prima enim ſolutione judicium teſtatoris probavit in omnibus Brunn. *ad auth. ſed cum teſtator. C. ad L. Falcid.* Nec porro poteſt detrahere Falcidiam, quando voluntatem teſtatoris ſecutus ſpondit, ſe non uſurum L. Falcidiâ. *l. 46. ff. ad L. Falcid.* In culpa enim eſt, qui confeſſioni obviare ſatagit. *l. 10. ff. de donat.* Sicuti vero eum, qui recuſat ultimam implere voluntatem defuncti, legatum perdere, modo annotavimus, ita etiam beneficio Falcidiæ ille privatur. *Nov. 1. c. 1. §. 1.* Zoeſ. *ad L. Falcid. n. 39.* Eandem etiam incurrit culpam, qui non confecit inventarium. *auth. cit. ſed cum teſtator.* Licet enim non ſalvam habeat quartam Falcidiam, tamen non tantum beneficium illud amittit, ſed & præterea ultra vires hereditatis tenetur; præſumitur enim aliquid ſubtraxiſſe de bonis hereditariis. Afflict. *deciſ. 44. n. 33.* Petr. Gregor. *L. 42. t. 34. n. 13.* Denique nec culpa vacat, qui fidem ſuam dat tacite teſtatori de reſtituendo

ſibi

Digitized by Google

ſibi relicto incapaci. Si enim reſtituit contra legem, Falcidia ipſi adimitur, quam alias detrahere potuiſſet ex legatis capacibus relictis, & hereditas applicatur Fiſco cum commodis & oneribus. Brunn. *ad l. 3. C. ad L. Falcid.*

§. XXIII. Affinitatem inſignem cum legatis habet *fideicommiſſum particulare:* Unde facile, quæ in §. præced. diximus, ſuo modo huc etiam referri queunt. Addemus ſaltim pauca adhuc, quæ ſpecialibus titulis in jure nobis traduntur. Sic *in l. 1. C. de Fideic.* diſponitur, eum, cui fiduciarius præſtitit per tres annos alimenta fideicommiſſo relicta, ex teſtamento minus ſolenni, teneri ea etiam in futurum præſtare, & ſi qua in præteritum præſtita non ſunt, exſolvere. Imputet enim ſibi, quod ſemel præſtiterit, quod ob defectum ſolennitatis præſtare non tenebatur. conf. Menoch. *lib. 3. præſ. 131. n. 5.* Barry. *L. 10. t. 12. n. 3. ſeq.* Idem dicendum de caſu in *l. 2. C. eod.* Non enim repetit, qui ſcienter fideicommiſſum inutiliter relictum ſolvit. Culpa ſcil. non vacat, qui contra propriam venit ſcientiam. vid. §. *6. c. præced.*

§. XXIV. Aliud adhuc eſt *Fideicommiſſum univerſale*, de quo in tit. ad SCtum Trebell. agitur. De hoc notamus, quod Fiduciarius regulariter non teneatur cum ipſo fideicommiſſo fructus quoque poſt aditam hereditatem perceptos reſtituere, niſi forſan ipſi mora imputari poſſit: tunc enim tam uſurarum, quam fructuum nomine poteſt conveniri. *l. 18. ad SCt. Trebell. l. 84. de Leg. 2.* Et ſi res reſtituenda perierit, non cogitur id reddere, quod non habet; interea tamen culpæ rationem reddere tenetur. Nam cum diſtrahere debuiſſet, & non fecerit, culpa lata, non levi & *rebus ſuis conſveta negligentia*, hujusmodi rei rationem reddet. *l. 22. §. 3. ff.*

Digitized by Google

ad SCt. Trebell. conf. Menoch. *L. 2. A. I. Q. caſu 49. n. 3.* Quod autem in §. *præced.* de fideicommiſſo inutiliter relicto dictum, etiam huc ſpectat. conf. B. Dn. Struv. *Ex. 36. th. 36.* Enimvero cum expediti juris ſit, fideicommiſſarium ad adeundam hereditatem fiduciarium cogere poſſe: *l. 4. ad SCt. Trebell.* Si jam poſtulante ipſo ſuſpectam hereditatem adierit, fideicommiſſarius illa recuſare nequit, & addit JCtus Valens in *l. 67. eod. quod eſt juſtius*, ſcil. in culpa eſt, quod temere coëgerit heredem, & non diligentius aut curioſius in hereditatis vires inquiſiverit. Idem de herede diſponitur, qui etiam recuſare nequit: Cur enim recuſaret, quam recuſare non potuit is, cujus hereditatem ſuſcepit? *l. 44. eod.* Si enim ſit ſuſpecta hereditas, imputet ſibi, quod eam adierit. Sicuti autem ſupra jam notavimus, eum, qui contra voluntatem fecit, excidere Jure ſuo, ita etiam illud hic repetimus. Qui enim fideicommiſſum familiæ relictum alienat, jure ſuo cadit, & proximus in familia rem ſtatim vindicare poteſt. *l. 77. §. 27. de Leg. 2.* Brunn. *ad l. 69. ff. de leg. 2. n. 2. & 3.* Imo & filius à patre alienatum revocare poteſt. Knipſchild. *de fideic. Famil. cap. 11. n. 386. & ſeq.* Nec enim ille, in quem alienatio facta, hic conqueri poteſt, qui non diligentius inquiſivit in conditionem tam rei quam ejus, quocum egit. vid. §. *12. c. præced.* Sed ut recte reſtitutio fiat, fiduciarius cautionem præſtare tenetur, ubi ſufficit, ſemel cautum eſſe: nec enim rurſus cavendum eſt, ſi forte dicatur egenos fidejuſſores eſſe datos: *facilitati enim ſuæ expenſum ferre debet, qui fidejuſſores minus idoneos accepit. l. 3. §. 3. ff. ut in poſſeſſ. legat.* Interim totam hereditatem reſtituere rogatus, heres detrahere Trebelliani-

Digitized by Google

ſianicam poteſt. Sicuti autem, qui Falcidiam ex errore juris detraxit, non poteſt eam repetere, ita etiam idem hic obſervatur. Brunn. *ad l. 21. ff. ad SCt. Trebell.* Imo hoc beneficio privatur, ſi coactus adierit, & reſtituerit hereditatem. §. *6. in f. J. ad SCt. Trebell.*

§. XXV. Jam ad Prætoriam ſucceſſionem ſeu Bonorum poſſeſſionem eſſet progrediendum: Sed quia illa hodie non adeo eſt neceſſaria, & illi ipſi caſus, in quibus adhuc uſus ejusdem ſupereſt (Vid. B. Dn. Struv. *Ex. 38. th. 43.*) non adeo multa ſuppeditent notabilia ad propoſitum thema ſpectantia; ideo ſtatim ad *ſucceſſionem ab inteſtato* tranſitum facimus. De hac paucis adhuc ſemel monemus, matrem quidem ex SCto Tertull. vocari ad ſucceſſionem liberorum, excludi autem ab ea, ſi ipſi culpa imputari poſſit, quod vel nullos plane tutores, vel prioribus rejectis, alios non petierit, vel etiamſi petierit, ad hoc compulſa fuerit, non, ſi ſaltim admonita. *l. 2. §. 23. & 24. ff. ad. SCt. Tertull.* Imo excluditur, licet pater liberis peti tutorem prohibuerit, & ipſa non adminiſtraverit. *l. cit.* §. *25.* quoniam jus naturale dictitat, eum, qui perfectæ ætatis non eſt, alterius tutela regi debere. §. *6. J. d. Attil. Tut.* Extenditur hoc porro ad nepotes *l. cit.* §. *28.* & furioſos §. *29. & 31.* it. ſi prægnans non petiit curatorem bonis. §. *30. l. cit.* Imo mater coërcetur, ſi quidem petiit, ſed *defunctorie*, §. *33.* vel ſi indignos ſcienter petiit. §. *34.* Namque his omnibus caſibus matri culpa imputari poteſt; quæ ſi ceſſat, nec pœna locum habet. Caſus quosdam habet Brunn. ad *l. cit. 2. n. 8.* Cæterum poſſunt etiam huc ſuo modo referri, quæ ſupra §. *19. h. t.* de culpa heredis diximus, ut propterea hic omnia repetere ſupervacaneum

 forer.

Digitized by Google

foret. Illud tamen non prætereundum cenſemus, pactis non dari hereditatem, & qui paciſcuntur de hereditate, merito culpam, quod contra LL. egerint, incurrere, ut propterea hereditatem nullo jure petere poſſit. *l. 15. & f. C. de Pact.* conf. B. Dn. Struv. *Ex. 6. th. 44.*

§. XXVI. Abſoluto jure hereditario, pergimus cum Imper. noſtro Juſtin. ad JURA AD REM, ſeu *obligationes*, (quanquam accuratius loquendo & hæc differant inter ſe: quod tamen ita præciſe non ſolet obſervari. vid. *l. 42. §. 2. de procur.*) quæ oriuntur vel ex *Lege*, vel ex *Facto*, eoque vel *licito* vel *illicito*. Factum licitum eſt *conventio*, quæ vel *pactum* vel *contractus*. De Pacto lis haud exigua inter Dd. eſt, *cur ſcil. jure Civili nulla ex eo detur actio; quod tamen iniquitatem quandam præ ſe ferre videtur?* De hac quæſtione ita ſtatuendum ex communi Dd. ſententia cenſemus. Videlicet, legislatoribus videntibus, non expedire Reipubl., ſi verba quælibet, quæ ſæpe ex indeliberata fluunt voluntate, ſtatim eam continerent vim, ut promittentem ad ſervanda promiſſa cogere poſſent; utiliter introduxere certam formam, ſecundum quam conventiones ineundæ, ut vim haberent efficacem; reliquis *pactis nudis* ex declaratione Legum Romanarum pro *conventione indeliberata* habitis. *l. 7. §. 12. ff. de pact.* Ill. Dn. Lynck. *in Anal. ad ff. de pact.* Nec hoc iniquitatem quandam continet. *Imputet* enim ſibi alter paciſcentium, qui alterum ſibi firmiter obligatum voluit, quod non curaverit, ut talis adhiberetur promittendi modus, qui Legibus Rom. robur habet civile. B. Dn. Struv. *Ex. 6. th. 14. inf.* Inde jam eſt, quod pactum ex intervallo adjectum, nullam vim & efficaciam in foro Civ. habeat, *l. 13. C. de Pact. ibique* Brunnem. neminemque in mora conſti-

tuat.

tuat. *l. 88. ff. de R. J.* Quanquam autem non detur actio, habet tamen adhuc alios *effectus remiſſiores*, inter quos eminet, quod *Exceptionem* producat, inprimis quando alteri parti, quæ pactum ſervare recuſat, culpa imputari poteſt. Exemplum eſt in *l. 4. C. de pact.* ubi dicitur, quod, poſtquam ſemel liti per pactum gratis fuit renunciatum, nulla ratio poſtea permittat, eam ex pœnitentia inſtaurari. *Cur enim renunciavit temere?* vid. §. *16. n. 8. cap. præced.* Accedit, quod renunciatio præſumatur facta ex deſperatione juris ſui, & agnitione bonæ fidei. Tiraquell. *ad l. ſi unquam C. de Revoc. donat. n. 206.* Sæpiſſime ergo pacti exceptio objicitur, quæ etiam ex tacito pacto competere poteſt. *l. 2. ff. de pact.* Veluti ſi ex duobus correis debendi unus pro ſua parte ſolvat dimidiam partem, & expreſſe addat, ſe pro ſua parte ſolvere, creditor alteram partem ab eodem petendo repellitur. Licet enim duo correi in ſolidum obligentur *L. 3. §. f. ff. de duob. reis.* quia tamen culpa creditori imputari poteſt, quod ea lege, qua ſolvit correus, acceperit ſolutionem, & ſic tacite conſenſerit, recte repellitur. *l. 18. C. de pact. ibique* Brunnem. Dum autem hic mentio taciti injicitur pacti, non incongrue quæritur: *an tacens pro conſentiente poſſit haberi, ut inde pactum quoddam naſci queat?* Placet hac in re ſententia Bachovii. *Vol. 1. d. 6. th. 1. lit. b.* negantis, ullo caſu tacentem, qui libere conſentire poteſt, quoad hunc effectum, ut actio vel exceptio quæratur, pro conſentiente habendum videri. Neque enim, pergit, taciturnitas ei prodeſſe debet, cui imputari poteſt, quod voluntatem ſuam non declaraverit, & qui merito videri poteſt repudiaſſe beneficium, quod non obtruditur invito. Tunc autem pro conſentiente poteſt haberi,

quan-

Digitized by Google

quando ei imputari poteſt, dum de præjudicio ipſius præſentis & actum contradictione ſua impedire valentis tractatum fuit, non contradixerit. Unde ſi principalis acceptet ceſſionem à procuratore quæſitam, licet mandati fines procurator exceſſerit, & non fuerit proteſtatus principalis, ratificari videtur geſta procuratoris. Mev. *2. dec. 140.* Qui enim, cum deberet, non contradicit, conſentire intelligitur. *Id. ibid. n. 9.* It. ſi quis præſens accipiat literas, in quibus agitur de eo obligando, & hic taceat, easque ſine proteſtatione retineat, videtur conſenſiſſe Gail. *L. 1. obſ. 21. n. 9.* Barboſ. *in l. 34. ff. ſolut. matrim. n. 158.* Menoch. *L. 3. præſ. 56.* Diligenter autem hic quoque in conditionem perſonæ inquirendum. Si enim illa ſit inhabilis ad paciſcendum, non auditur exceptionem pacti allegans, quin potius ſibi imputet, quod non rectius in conditionem perſonæ inquiſiverit, quacum pactum iniit. *l. 6. de V. O. l. 70. §. 4. de Fideic.* Bachov. *Vol. 2. d. 28. th. 3. lit. b.* Eadem ratio eſt in infante, & infantiæ proximo. *§. 10. J. de inutil. ſtipul.* Imo pupillus non obligatur ſine tutoris autoritate, *pr. J. de auct. tut.* ut nec minor ſine conſenſu curatoris. Bachov. *vol. 1. diſp. 6. th. 5. lit. c.*

§. XXVII. Contractus majorem vim & efficaciam habent, idque ex natura illis propria. Et hi ſane magnam cautionem requirunt, ne culpa aliqua contrahentibus imputari poſſit. Licet enim alias meum commodum cum alterius jactura non licitum ſit promovere, *arg. l. 206. ff. de R. J.* hic tamen, ubi res inter conſentientes agitur, illud haud applicari poteſt, quin potius alter ſibi imputet, quod alteri permiſerit, quo hac ratione ſibi caveret. *arg. l. 9. §. 3. inf. ff. de pign. act.* Ill. Dn. Stryck. *in caut. contr. Sect. 1. c. 1. §. 11.* Sunt vero contractus vel *veri*, vel *quaſi*.

Veri

Digitized by Google

Veri vel *nominati*, vel *innominati.* Nominati ſunt *reales, verbales, literales* & *conſenſuales.* Reales exhibent nobis quatuor ſpeciales Contractus, inter quos primum occupat locum MVTVVM. Perficitur id interventu rei. *l. 17. ff. de pact. pr. I. quib. mod. re contr. Obl.* Inde ſequitur, eum, qui creditum accepturus, ſpopondit creditori futuro, in poteſtate habere, ne accipiendo ſe ei ex mutuo obſtringat. *l. 30. ff. de reb. cred.* Nec creditori fit injuria, cui imputari debet, quod non curaverit, ut debitorem, dando pecuniam, ſibi obſtringeret. Præcipue autem & hic conditio perſonæ, quacum mutuum contrahitur, eſt inſpicienda, alioquin creditor vel etiam debitor ſuo damno negligens fuit. Qui proinde contra SCtum Macedonianum filiofamil. pecuniam mutuo dat, illi etiam poſt mortem parentis, actio petitioque denegatur, *l. 1. pr. de SCt. Maced.* etiamſi filiusfamil. SCto renunciaverit *arg. l. 7. §. 16. ff. de pact.* Barboſ. *ad L. f. C. de SCt. Maced. n. 14.* neque etiam hic allegari ignorantia juris poteſt, & quod vana ſimplicitate ſit deceptus, credens ipſum eſſe patremfamil. Secus tamen, ſi publice paterfamilias plerisque viſus fuerit, & ſic etiam egerit, ſic contraxerit, ſic muneribus functus fuerit: tunc enim nihil eſt, quod creditori imputetur; *l. 3. pr. ff. de SCto Maced.* Engel. *in coll. jur. un. Can. L. 1. t. 34. n.* 37. Barboſ. *in l. 1. C. eod. n. 5. & in l. 2. n. 2.* Mant. *de tacit. & amb. conv. L. 8. t. 7. n. 21.* modo ſint tales actus, qui non niſi à patrefamil. fieri ſolent, Weſenb. *in Comment. ad tit. cit. n. 17.* Et ut mutuum dans non fuerit *levi perſvaſione* deceptus. Mantic. *c. l.* Recte enim Julianus, notante Pompon. in *l. 19. ff. eod.* ſcribit, exceptionem SCti Maced. nulli obſtare, niſi qui ſcit, aut ſcire potuiſſet, filiumfamil. eſſe

H eum,

eum, cui credebat. Brunn. ad *l. c.* Ideoque ſi creditor ſcivit, eum eſſe filiumfamil., licet filiusfamil. juraſſet, ſe eſſe patremfamil., merito locum habebit exceptio. Brunnem. *ad l. 1. C. ad SCt. Maced. in f.* Quando ergo filius contra SCtum mutuatus eſt, & nihilominus ſolvit pecuniam, pater optimo jure illam vindicare poteſt, neque illi ulla objicietur exceptio. *l. 14. ff. de R. cred.* Imo licet paterfamil. factus partem debiti ſolverit, non tamen reliqua pars exigi ab eo poterit. Bachov. *Vol. 1. diſp. 20. th. 8. lit. a.* Stringit præterea hoc SCtum etiam creditores illos, qui filiabusfamil. pecuniam mutuam dedere, & quia in culpa ſunt, quod temere crediderint, nihil ad rem pertinet, ſi affirmetur, illas ornamenta ex ea comparaſſe. *l. 9. §. 2. ff. de SCt. Maced.* Quodſi autem patre conſentiente creditum ſit filio, ceſſat SCtum. Nec pater conſenſum revocare poteſt; ſibi enim imputet, quod ſemel conſenſerit. *l. 12. ff. eod.* Illud tandem addendum putamus, filiumfamil. ne quidem in foro conſcientiæ pecuniam accipiendo obligari. Conf. Wieſenbach. *ad tit. cit. theſ. 28.*

§. XXVIII. Porro quando quis *cum civitate contrahit*, facile culpam creditor incurrere poteſt. Nam ſi non civitati, ſed forſan adminiſtratoribus pecuniam mutuam dedit, non tenetur civitas, *l. civitas. 27. ff. de R. cred.* ſed adminiſtratores ipſi tenentur, niſi in commodum civitatis vel Eccleſiæ pecunia ſit verſa. Berlich. *P. 3. dec. 303.* id quod probare tenetur creditor. conf. Mev. *5. deciſ. 386.* Imputet ergo ſibi onus hoc moleſtum, cum illo ſuperſedere potuiſſet, ſi non cum adminiſtratoribus ſolis, ſed cum civibus omnibus contraxiſſet: tunc enim verſio non probanda fuiſſet, ſed civitas ſimpliciter obligata fuiſſet.

Digitized by Google

ſet. Ill. Dn. Stryck. *in Caut. Cont. Sect. 1. c. 1. §. 4.* Imo ipſi adminiſtratores in culpa ſunt, ſi pecuniam ad civitatis commodum mutuo acceptam in uſum ejus non converterint, nec etiam creditoribus ſtatim reddiderint. Subjicit hac in rem elegans Cameræ Brandenburg. præjudicium Brunn. *ad l. 27. c. 1.* ex quo ſequentia hic adducere lubet: Es iſt zwar die Stadt und allgemeine Bürgerſchafft ab inſtituta actione zu abſolviren und los zu zählen. Allein es haben die Adminiſtratores ſehr übel gehandelt / daß ſie das Geld / welches ſie Klägern zurück bringen / und wieder lieffern ſollen / an ſich behalten; ſo iſt es auch eine ſupina culpa & negligentia von den Succeſſoribus in der ſtracks folgenden Regierung geweſen / daß ſie von denen Anteceſſoribus keine Rechnung genommen / welches / wenn es geſchehen / die Klägere alſofort zu den Ihren / ohne Weitläufftigkeit / gelangen können. Derowegen denn im Fall dieſe 350. Thaler in der Stadt P. Commodum nicht convertiret / die Adminiſtratores in den beyden Regierungen / ſo damahls einander gefolget / oder deren Heredes, Klägern Erſtattung zu thun / und das Capital, nebſt denen Zinſen / zu refundiren ſchuldig. Cum autem civitas aliquando, licet ipſa contraxerit, reſtitutionem ex *l. 3. C. de jure Reip.* impetrare poſſit, creditor, ut nulla negligentia ei imputari queat, id curabit, ut civitas huic beneficio jurato renunciet. Ill. Dn. Stryck. *l. c.* §. 12. Circa *reſtitutionem mutui mora* quandoque ſolet notari, & quidem, cum alias res in genere debeat reſtitui, hic in pœnam ejus, cui mora imputari poteſt, æſtimatio ſæpe præſtanda, quando ſcil. ipſius rei præſtatione non eſt contentus creditor, ſed æſtimationem, quæ eo, quo res reſti-

rui debebat, tempore major erat, exigit. Quomodo autem illa æſtimatio ineunda, docet B. Dn. Struv. *Exerc. 16. theſ. 37.*

§. XXIX. Mutuo plerumque *Uſuræ* accedunt, de quibus etiam pauca annotabimus. Videlicet uſuræ de jure Civili non poſſunt exigi propter mutuum tanquam contractum ſtricti juris, niſi fuerint promiſſæ. *l. 3. C. de Uſur.* Qui ergo ſibi non proſpexit ſtipulatione expreſſa de uſuris, de ſe queri debet. Contra vero, qui uſuras ejusmodi indebitas non promiſſas per errorem juris ſolvit, repetitionem earum non habet, *l. cit. 3. ibique* Brunnem. adeo, ut qui longo tempore eas præſtitit, illa diuturna præſtatione inducatur præſumtio juſtæ obligationis, quia debitor non præſumitur tam ſupine negligens, ut diu præſtet uſuras indebitas. Qui ergo fuit tam negligens ſibi jacturam imputet. *l. 6. ff. de uſur.* Molinæus *de uſur. Q. 20. n. 205.* Similiter facile quis ſibi præjudicat, quando quidem uſuras majores ſtipulatus eſt, per aliquot annos autem minores à debitore accepit. Nam majores, licet promiſſas, poſtea petere nequit. *l. 5. C. de Uſur.* Quanquam autem ex Conſtit. Juſtin. in *l. 26. C. eod.* quantitas uſurarum variet pro diverſitate perſonarum; non tamen propterea, qui v. c. poſt promiſſas uſuras ſemiſſes mercator factus eſt, majores petit, quia, inquit Bachov. *ad Treutler. vol. 2. diſp. 3. th. 4. lit. c.* inferretur injuria debitori, qui à mercatore ſub majoribus uſuris pecuniam accepturus non fuiſſet, *& imputet ſibi creditor, qui non ſtatim ſortem exegit.* Cæterum uſuras ultra alterum tantum non currere, certiſſimi juris eſt, *l. 9. ff. de uſur. l. 27. §. 1. C. eod.* niſi forſan debitor ſit in culpa, quod ſæpius interpellatus non ſolverit. Carpz. *Aſyl. debit. c. 1. poſ. 25.* Richt. *dec. 74. n. 92. & 93.*

Digitized by Google

93. Illud denique facile conſtat, præſcripto debito, debitorem non poſſe conveniri propter uſuras: ſufficit enim in hoc caſu, ſortem præſcriptione eſſe ſublatam, quippe in præſcriptione ejus adeſt negligentia non petentis, quæ ita reſpicit uſuras, ſicut ipſam ſortem. Brunn. *ad l. 26. C. d. t. n. 3. & 4.*

§. XXX. COMMODATUM plerumque ſolum utilitatem continet ejus, cui commodatur. *l. 5. §. 1. ff. commod.* & propterea diligentiori cautione opus, ne ulla aliqua culpa commodatario imputari poſſit. Quod vero ſenectute forſan contigit, vel morbo, vel vi latronum ereptum eſt, dicendum eſt, ait JCtus Ulp. *in l. cit. 5. nihil eorum eſſe imputandum ei, qui commodatum accepit:* Imo ea, quæ vi majore auferuntur, detrimento eorum, quibus res commodantur, *imputari non ſolent, l. 1. C. eod.* niſi culpa aliqua interveniat, v. c. ſi quis res ſuas ſalvas fecit, (exiſtente forſan incendio) & commodatas omiſit. *Gothofr. in not. ad l. c. lit. c.* Exempla plura habentur *in l. cit. 5. §. 7. & ſeqq.*, imprimis quando quis rem commodatam in alium adhibet uſum, quam cui à commodante deſtinata, v. g. ſi tibi equum commodavero, ut ad villam adduceres, tu ad bellum duxeris, periculum tuum erit. Conſ. Carpz. *2. 26. 7.* Valer. *in differ. utriusque fori p. 69. 9.* ſecus ſe res habet, ſi tibi commodavero equum, quo utereris ad certum locum, ſi enim nulla tua culpa interveniente in ipſo itinere equus deterior factus ſit, non teneris commodati. *Nam ergo in culpa ero, qui in tam longum iter commodavi, qui eum laborem ſuſtinere non potuit. l. ult. ff. eod.* Quoties ergo nulla culpa commodatario imputari poteſt, & tamen in re commodata damnum datum, liber erit commodatarius à præſtatione. Unde ad eos, qui utendum

Digitized by Google

dum quid accipiunt, damnum injuria ab alio datum non pertinet. *Q[illegible]a enim cum diligentia conſequi poſſumus, ne aliquis damnum nobis injuria det? l. 19. ff. commod. ibique* Brunn. *l. 41. ff locat.* ubi exceptiones habentur, quando nim. commodatario culpa imputari poteſt. Illud imprimis in re commodanda obſervandum, ne negligat commodans exigere, ut exprimatur uſus, ad quem alter re mea opus habet. Simpliciter enim ſi rem dederim, non erit commodatum, ſed precarium; Menoch. *L. 2. A. J. Q. caſ. 23.* ut ſic poſtea mihi ſit imputandum, quando ob damnum culpa levi vel leviſſima datum non poſſim convenire commodatarium. Nam in precario ſaltim lata culpa præſtatur. *l. 8. §. 3. ff. de precar.* Conf. Ill. Dn. Stryck. *in Caut. Contr. Sect. 2. c. 2. §. 3.* Porro & commodans illud obſervare debet, ne in culpa ſit, quando forſan rem vitioſam commodato dat. Ideoque qui ſciens vaſa vitioſa commodavit, ſi ibi infuſum vinum vel oleum corruptum effuſumve eſt, condemnandus eo nomine eſt. *l. 18. §. 3. commod.* Hinc cautelam ſubminiſtrat Ill. Dn. Stryck. *c. 1. §. 12.* ut commodatum petenti commodans reſpondeat, adeſſe ibi vaſa, ſibi de bonitate eorum non conſtare, ſed commodatarium, an illis uti expediat circumſpicere debere, quo ipſo damnum in commodatarium devolvetur, qui ſibi imputabit, quod non cautius inquiſiverit. Circa *reſtituendum commodatum* hæc occurrit quæſtio: *an culpam commiſſam à nuncio rem referente præſtare debeat commodatarius?* Equidem ſi commodatarius ipſe, cui voluit, commiſit, culpam non alienam, ſed propriam præſtabit, *l. 10. in f. commod.* quod ſcil. non tam idoneum hominem elegerit, ut recte id perferri poſſit. *l. 11. eod.* Electionem enim malam culpæ attribui, recte

hic

Digitized by Google

hic notat Gothofr. *in not. ad l. c. 11. lit. a.* & ſupra quoque notavimus. *c. 2. §. 14.* Quando igitur tam idoneo ſervo tradidiſſet rem ad te perferendam, ut non debuerit quis æſtimare futurum, ut à quibusdam malis hominibus deciperetur, tuum, non meum detrimentum erit, ſi id mali homines interceperint. Nulla quippe culpa mihi imputari poteſt. *l. 20. ff. eod.* Conf. B. Dn. Struv. *Ex. 19. th. 8. in f.*

§. XXXI. Simile quodammodo commodato eſt *Precarium, l. 1. §. 3. ff. de precar.* quanquam contractus dici nequeat. *l. 14. ff. eod.* In eo ſcil. maxime differt à commodato, quod in momento ad concedentis nutum ſit revocabile: unde etiam culpa lata ſaltim hic præſtatur ab eo, qui precarium accepit, *l. 8. §. 3. ff. eod.* quia *imputare ſibi debet dominus, quod non citius repetierit*, ſed alterum in re ſua negligenter verſari paſſus ſit. Brunnem. *ad d. l. 8. n. 5.*

§. XXXII. In DEPOSITO quidem totum depoſitarii fidei committitur, quod ad cuſtodiam rei pertinet; *l. 1. pr. ff. depoſ.* interea tamen non adeo coërcetur negligentia & deſidia depoſitarii, uti quidem in aliis contractibus. Ideoque ſecurus eſt depoſitarius, qui parum diligenter cuſtoditam rem furto amiſerit. Addit Imper. elegantem rationem in §. 3. *J. quib. mod. re contr. obl.* quia, *qui rem negligenti amico cuſtodiendam tradit, non ei, ſed ſuæ facilitati id imputare debet.* conf. *l. 1. §. 5. in f. ff. de O. & A.* Sicuti autem qui ſe offert negotio alicui, culpa non vacat; vid. *§. 10. c. præced.* ita & hic depoſitarius majorem diligentiam adhibere debet, cum ſibi imputare debeat, quod ultro ſe obtulerit, eo enim ipſo periculo depoſiti ſe illigavit. *l. 1. §. 35. depoſ.* Occurrit hic inſuper elegans exemplum intempeſtivæ miſericor-

diæ,

diæ, de qua *ſupra c. 2. §. ult. num. 6.* notavimus, quod per eam contrahatur culpa. conf. B. Dn. Struv. *Ex. 21. th. 87.* Si enim hominem apud ſe depoſitum, ut quæſtio de eo haberetur, (quod in ſpecie *ſequeſtrum* dicitur) propterea vinctum, vel ad malam manſionem extenſum ſequeſter ſolverit *miſericordia ductus*, dolo factum eſſe, quod factum eſt, arbitror, ait JCtus in *l. 7. pr. ff. eod.* quia cum ſciret, cui rei pararetur, *intempeſtive miſericordiam exercuit*; cum poſſet non ſuſcipere talem cauſam, quam decipere. Cæterum, quod in reliquis b. f. negotiis *propter moram* fieri ſolet, illud quoque hic ex mora venit. *l. 2. C. eod.* Illud de heredibus depoſitarii notandum, quod, ſi ignorantes vendiderint, non cogantur rem illam redimere, ſed ſaltim pretium reſtituere, vel etiam actiones ſuas tantummodo præſtare, ſi vel pretium nondum exegerunt, aut minoris, quam debuerunt, vendiderunt, niſi ipſis culpa imputari poſſit, quod rem potuiſſent redimere & præſtare. *l. 1. §. ult. l. 2. & 3. ff. depoſ.*

§. XXXIII. Ultimus *contractus realis* eſt PIGNORATITIVS, ubi Creditori in ſecuritatem crediti res traditur, §. *f. J. quib. mod. re contr. Obl,* ita tamen, ut in bonis debitoris permaneat. *l. 9. C. de pign. act.* Quodſi tamen creditor culpæ reus deprehendatur, licet pignus caſu fortuito ſit deperditum, quanti debitoris intereſt, condemnari debet. *l. 5. C. eod.* ſi autem nulla culpa ſeu ſegnities ei imputari poteſt, pignorum amiſſorum diſpendium ad periculum ejus minime pertinet. *l. 8. C. eod.* De jure Saxon. ſingulare hic quid conſtitutum, quod ſcil., ne defraudentur creditores, ejuſmodi contractus, ubi videlicet immobilia hypothecæ ſubjicienda,

non

non recte celebretur, niſi accedat confirmatio judicis. Land-R. *L. 1. art. 8. Conſt. Elect. p. 11. c. 23.* Unde creditores, hoc non obſervato, de ſe queri debent, ſi poſtea aliis creditoribus judicialem hypothecam habentibus poſtponantur. Imò reſpectu eorum creditorum prorſus invalida eſt extrajudicialis oppignoratio. B. Dn. Struv. *Ex. 26. th. 22.* Datur ex hoc contractu actio pignoratitia, ſoluto ſcil. debito; modo rurſus debitori culpa imputari non poſſit, ut ſi reprobos nummos ſolvat creditori: reproba enim pecunia non liberat ſolventem. *l. 24. §. 1. de pign. act.* Sic & ſi quis ſine pignore alicui crediderit, poſtea eidem debitori aliam ſummam ſub pignore credat, eamque poſtea reſtituat, tamen debitor pignoratitia actione agere nequit, ſed creditor idem pignus pro primo pignore retinere poteſt. *l. un. C. etiam ob Chirogr. cred. &c.* Nec iniquum hoc eſſe, erudite docet Ill. Dn. Stryck. *in Caut. Contr. Sect. 2. c. 4. §. 39. in f.* cum debitor ſibi imputet, quod moras ſolvendi nectat: merito enim creditori contra moroſum debitorem vigilanti ignoſcendum.

§. XXXIV. Contractus VERBALIS dicitur *ſtipulatio* ad firmanda imprimis pacta introducta, unde & juſtitiam hujus deduximus *ſupra §. 26.* Habet hæc quoque multa, ex quibus culpa contrahentibus imputari poteſt; quorum pars haud exigua petenda ex *tit. J. de Inutil. ſtipulat.* Cum vero ſtipulatio eum maxime in finem ſit introducta, ut ex hac de deliberata mente contrahentium conſtare poſſet, recte dicitur *in l. 99. ff. de V. Obl.* quod contra ſtipulatorem verba ſint interpretanda, quia ei liberum fuit, verba late concipere, h. e. *quia ſibi imputare debet, quod verba latius haud conceperit*, ut

 explicat

explicat hanc legem B. Dn. Struv. *Ex. 47. th. 11.* Imprimis autem quo nihil contrahentibus poſſit imputari, attendendum, (1) *ut congrua ſequatur interrogationi reſponſio:* Proinde nulla inducitur obligatio, ſi quis quærenti ſimpliciter reſponderit, ſi illud factum erit, dabo. *l. 1. §. 3. ff. de Verb. Obl.* ubi & plura exempla habentur. (2) *ut conditionem ejus, quocum ſtipulamur, non ignoremus, ſed diligenter in eam inquiramus.* Eſt enim ſtipulatio juris Civilis: Ergo & illius capaces tantum ſtipulari poſſunt. Ideoque qui cum deportato ſtipulatur, nihil egiſſe cenſetur. *l. 14. §. 1. de Novat. l. 47. pr. de fidejuſſ.* (3) *ut objectum nullo laboret vitio.* Hinc facta debent eſſe poſſibilia, certa imprimis, & determinata, ut intelligi poſſit, quid in ſtipulationem deductum ſit. B. Dn. Struv. *Ex. 47. th. 8.* & ex natura rei benigne explicari, *l. 137. §. 2. ff. de V. Obl.* Imo ut nullus error aut diſſenſus circa ipſam rem inducatur *l. cit. 137. §. 1. &c.* Secus enim in propriam jacturam aget ſtipulans, nec conqueri poteſt, cum damnum ipſius negligentiæ ſit imputandum. Cæterum *ex §. 4. J. de V. Oblig.* patet, quod ſtipulatio admittat conditionem tam *affirmativam*, quam *negativam*, ubi circa negativam oritur quæſtio, *an in illa, ſicut in cauſis teſtamentariis, cautio Mutiana admittatur?* quam communiter Dd. negant. B. Dn. Struv. *Ex. 35. th. 97.* Videlicet imputare ſibi debet ſtipulator, quod effecerit per admiſſionem hujus conditionis, ut ipſe non poſſit exigere promiſſum, ſed heres ejus. Ill. Dom. Lynck. *in Anal. ad §. 4. J. de V. Obl.*

§. XXXV. *Fidejuſſio* mediante ſtipulatione conſtituitur, & fidejuſſores accipi ſolent, dum curant, *ut diligentius ſibi ſit cautum. pr. J. de fidej.* Unde creditoribus merito imputari debet, quando admiſerunt fidejubentes,

qui

Digitized by Google

qui tamen non ſunt idonei ; *l. 3. ff. de fidejuſſ.* adeo ut creditor, cum eum probaſſe cenſeatur, tutiorem cautionem petere non poſſit, etiamſi ignorantiam prætendat. Vid. tamen diſtinctionem, quam hic habet Bachov. *Vol. 2. diſp. 28. th. tit. f.* Sic, dicit, qui ſciens accepit fidejuſſorem mulierem, nihilominus alium petet, quia non tantum conſiderandum eſt, quid imputari poſſit creditori, ſed etiam id magis, quid hujusmodi obligatione, quo quis ſe fidejuſſorem daturum promiſit, contineatur, quia promiſſioni non ſatisfacit, ſed potius nihil agit. Bachov. *c. l.* Idem dicitur quando heredes creditoribus hereditariis ſeparationem deſiderantibus ſatisdant fidejuſſoribus. Si enim non ſatis idoneos acceperunt, ſibi imputent, cur minus idoneos fidejuſſores acceperint. *l. 1. §. 11. ff. de ſeparat.* Sed quicquid demum hactenus Bachovius diſſeruit, ſane conſiderandum quoque cenſemus, quid imputari poſſit creditori, præſertim ubi ejus culpa prædominatur. Sic ſi Titius & Seja ſimul pro Mevio fidejuſſerint, ſubducta muliere datur in ſolidum adverſus Titium actio, cum ſcire potuerit, aut ignorare non debuerit, fruſtra mulierem intercedere *l. 48. pr. ff. de fidej.* & ita pronunciatum eſſe, refert Sand. *L. 3. tit. 10. d. 2.* Aliud exemplum hanc rem illuſtrans retulimus ſupra *c. 2.* §. 2. quod ſcil. plurimum interſit, an cum muliere ab initio quis contrahat, an alienam obligationem in eam transferat, tunc enim diligentior eſſe debet. *l. 17. pr. ff. ad SCt. Vell.* Alias enim ipſi imputatur, quod non accuratius inquiſiverit. B. Dn. Struv. *Exerc. 21. th. 6. in f.* Quando autem culpa propria non imputari poteſt creditori, non etiam repellitur exceptione SCti Vellejani. Nam ſi mulier forſan tanquam in uſus ſuos acceperit pecuniam, alii creditura, non eſt lo-

 cus

cus SCto :: alioquin nemo cum fœminis contrahet, *quia ignorari poteſt, quid actura ſint*, *l. 11. ff. eod.* Concernunt vero fidejuſſiones vel *judicialia* vel *extrajudicialia*. Inter *judiciales* eminet illa, quæ dicitur *de judicio ſiſti*, de qua Bachov. *vol. 1 diſp. 28. th 3. lit. a.* hæc habet, quod, utcunque nulla intercesſerit culpa fidejuſſorum circa fugam rei, tamen pecuniam promiſſam ab iis exigi poſſit, quoniam hæc fuit conditio obligationis, & *imputent ſibi, qui eum ſuſceperunt*, cum intelligere facile poſſent, reum male ſibi conſcium ſententiam non eſſe expectaturum. Addit poſt pauca: ſi autem reus carcere detineatur, tunc nihil poteſt fidejuſſoribus imputari, ſed potius magiſtratus ſibi, vel commentarienſi ſuo hoc acceptum ferat. De *extrajudiciali* illud unicum notamus, quod, ſi unus ex fidejuſſoribus pluribus in ſolidum obligatis ſuam portionem ſolvat, & creditor illum accipiat, eumque ſic liberet, reliquis non ſolvendo exiſtentibus, regreſſum adverſus primum creditor non habeat, ſed ſibi imputet, quod primum liberaverit. Cæterum fidejuſſoribus beneficia competunt haud ſpernenda, ut eſt beneficium diviſionis. De hoc notandum, quod, ſi ab uno fidejuſſore creditor totum conſecutus fuerit, hujus ſolius detrimentum ſit, ſi is, pro quo fidejuſſit, ſolvendo non ſit, & *ſibi imputare debet, cum potuerit juvari ex epiſtola D. Hadriani & deſiderare, ut pro parte in ſe detur actio*, §. 4. *J. de fidejuſſ.* quippe beneficium ex hac epiſtola non competit ipſo jure, ſed ope exceptionis. *l. 26. ff. eod.* Deinde *inficiantibus auxilium diviſionis non eſſe indulgendum*, diſerte dicitur in *l. 10. §. 1. eod.* Illud denique ſingulare eſt, quod qui pro rationibus officialis cujusdam cavet, non ſimplex fidejuſſor, ſed indemnitatis promiſſor cenſeatur. Liber tamen hic eſt, quando civitas

tas negligens ſuit in exigendo ab adminiſtratoribus ſuis rationes, qui poſtmodum non ſolvendo fiunt. Ill. Dom. Lynck. *in Anal. ad ff. tit. de Fidej. th. 39.* Conf. *infr.* §. *41. in f.* ubi quædam habentur, quæ huc ſpectant. It. Differt. Rhet. *de damn. vol. c. 6.* §. *12.*

§. XXXVI. LITERARVM OBLIGATIO, quæ tot impedimentis involuta, non quidem in ſe, ſed Dd. variis interpretationibus, ad contractus nominatos quoque ſpectat, reliquiſque ut ſpecialis opponitur Conf. huc, quæ Ill. Dn. Lynck. *in ſpecul. tract.* hac de materia, de *reſtituta* videlicet *literarum obligatione* erudite diſputat. Scilicet ſubſtantiam totam huic contractui dant literæ poſt biennium. Qui enim ſcripſit ſe debere, & tamen non curavit, ut pecunia ſibi numeretur intra biennium, in culpa haud levi eſt. Sibi enim imputet, quod non uſus fuerit vel condictione Chirographi ſui; *l. 17. C. de non num. pec.* vel ſibi proſpexerit proteſtatione de pecunia non accepta. Id. *in Analect. ad tit. J. de literarum obligatione.* Unde nec exceptio non numer. pecun. poſt biennium admittitur, cum intra biennium proteſtari, aut condictione uti debuiſſet. Id. *c. l.* Licet enim exceptio hæc ſit introducta in favorem debitoris; tempus tamen coarctatum quoque eſt in favorem creditoris. §. *un. J. de lit. obl.* verb. *coarctatum eſt.* Et merito ſibi imputet Dominus, quod jure ſuo non fuerit uſus.

§. XXXVII. Denique ut CONSENSVALES aggrediamur, ratio inſtituti exigit, inter quos cum *Emtio venditio* primum occupet locum, hanc etiam primo loco excutiendam proponemus. Hic rurſus diligentes eſſe debemus, ne ignoremus conditionem ejus, quocum contrahimus. Si enim minor vendat res immobiles abs-

Digitized by Google

que cognitione & decreto judicis, emtio eſt nulla, *l. 2. C. de præd. & al. reb. min. ſine decr. non alien.* adeoque competit minori rei vindicatio, neque ille tenetur reſtituere pretium, ſi poſſeſſor eſt in mala fide. Secus ſi bona fide emerit. *l. 14. C. d. t.* Conf. Simoncella *tr. de decr. & cat. ſolennit. in contr. min.* Porro qui rem furtivam emit, non excuſabitur poſtea, ſi ab ignoto & transeunte ſe emiſſe dixerit. *l. 5. C. de furt.* Obſtat ei enim præſumtio legis, cum quis notum habere præſumatur eum, quocum contrahit. Brunn. *ad d. l.* Hinc monent Impp. in *l. 2. c. t.*, ut curent cautius negotiari, ne non tantum in damna hujusmodi (rem enim tenentur reddere, non reſtituto pretio:) ſed etiam in criminis ſuſpicionem incidant. Denique ſi actio vel nomen ſit diſtractum, debitore inopia laborante, imputatur culpa emtori, quod non fuerit cautus in debitore idoneo aſſumendo. Nam locupletem debitorem non debere præſtare venditorem, noſſe debebat. *l. 4. ff. de her. vel act. vend.* Conf. Carpz. *2. 34. 26. n. 1.* Deinde in re vendenda ut plurimum culpæ imputatio occurrere ſolet. Sic domum emi, eam combuſtam ſcivi, venditor autem ignorabat, hic ſane oportet & venditionem ſubſiſtere, & omne pretium à me venditori, ſi non depenſum eſt, ſolvi, vel ſi ſolutum ſit, non repeti. *l. 57. §. 2. ff. de contr. emt. vend.* Huc petinet *emtio ſpei*, quando v. c. jactus retis, aut captus piſcium vel avium vel miſſilium emitur, atque tunc, etiamſi nihil inciderit, tamen pretium debetur. *l. 8. ff. cit. tit.* Sibi enim imputet, quod ita contraxerit; culpa ergo ſua damnum ſentit. Sic ignorantia quoque, quæ in ſupinum hominem, ſumme negligentem, & nimio plus ignorantem, quam par eſt, cadit, emtori non prodeſt. *l. 15. §. 1. eod.* veluti ſi quis hominem

Digitized by Google

minem luminibus effoſis emat, & de ſanitate ſtipuletur. Se ipſe enim decepit, *l. 43. §. 1. ff. eod.* & ideo de ſe, non de alio queri debet. Gothofr. *in not. ad h. l. lit. m.* Conf. Mev. *4. Dec. 49. num. 2.* Cum vero contrahentes paulatim hic remittendo, illic addendo inter ſe agant, & quidem emtor viliore pretio comparandi, venditor cariore diſtrahendi votum gerant, *l. 8. C. de reſc. vendit.* naturaliter licere contrahentibus ſe circumvenire in pretio emtionis & venditionis, dicitur in *l. 16. §. pen. ff. de Minor.* conf. Brunn. *ad l. cit.* ubi erudite illam exponit. Hinc qui aliquo modo læſus eſt, non poteſt propterea, ut reſcindatur contractus, agere. Imputet enim ſibi, quod non vigilaverit. Quod ſi autem minus dimidia parte juſti pretii datum ſit, locum tunc denique habet remedium ex *l. 2. C. de reſc. vendit.*, niſi quis ſciens verum valorem lubenti animo viliori pretio vendiderit. B. Dn. Struv. *Ex. 23. th. 88.* conf. §. *6. cap. 2.* vel venditor remedio uti per incuriam neglexerit. Si enim interea res perierit, licet per emtoris negligentiam, ſine dolo tamen, non poteſt conveniri ex *l. 2. cit.*, quia in re ſua verſatus eſt licite ut dominus, & imputet alter ſibi, quod non citius egerit. Id. *th. 90.* conf. §. *2. cap. 2.* Sed ad *periculum rei venditæ* veniamus, & quidem perfecta emtione periculum ad emtorem reſpicit, *l. 8. pr. ff. de peric. & comm. rei vend.* id quod etiam confirmat. §. *3. J. de Emt. vend.* ſcil. ex ſupra traditis patet, quod mora ſua cuique nocere debeat, non alii. *l. 177. ff. de R. J.* Jam autem in mora eſt emtor, quoniam rem emtam exigere poteſt, quandocunque ei libuerit. *l. 15. ff. de R. I. l. 143. ff. de V. S.* Ergo ſibi imputet, cur non petierit, &, quod ſuum eſt, à venditore non avocaverit. Arumæus *in Exerc. ad ff.*

diſp.

Digitized by Google

diſp. 13. th. 6. cum tamen debuiſſet ſtatim rem avocare. B. Dn. Struv. *Ex. 23. th. 97.* Ideoque ſi vendita inſula combuſta ſit, & ſine patrisfamil. culpa incendium fieri poſſit, nihil ad eum pertinebit, ſi quid accidiſſet, modo venditor eam diligentiam adhibuerit in inſula cuſtodienda, quam debent homines frugi & diligentes præſtare. *l. 11. ff. de per. & com. rei vend.* De mora, quomodo ſcil. ea varie imputari poſſit, plenus diſponit *l. 17. eod.* Interim tamen ſi negligentia venditori poſſit imputari, antequam vacua tradatur poſſeſſio, v. c. ſi venditor domus, antequam eam tradat, damni infecti ſtipulationem interponere neglexerit, ad quod tenebatur, quia eſt pars cuſtodiæ diligentiæque, hanc interponere ſtipulationem, tenebitur emtori. *l. 36. ff. de Act. emt. vend.* In venditione autem earum rerum, quæ guſtu probantur, emtoris etiam erit periculum, ſi non deguſtaverit, exiſtimans forſan, ſibi cognitam eſſe bonitatem vini: de ſe enim queri debet, quod non deguſtaverit: Si autem non aliter quam ad guſtum facta venditio, tunc aut dies guſtationi præfinitus eſt, aut non, & hoc ultimo quidem caſu quandocunque deguſtare poteſt emtor, periculo interea ſpectante ad venditorem, niſi emtori culpa imputari poſſit, ut eſt *in l. 4. ff. d. peric. & com. rei vend.* Poſt guſtum autem omne periculum eſt emtoris, quia de ſe queri debet, quod deguſtando male probaverit. B. Dn. Struv. *Ex. cit. th. 101.*

§. XXXVIII. Solent autem emtioni venditioni *varia* adjici *pacta*: ut *Lex commiſſoria*, qua quidem ſub conditione dominium transfertur, ita ut emtor fructus percipiat, ſed ſi pactum committatur, ipſo jure ſolvitur dominium, modo mora emtori imputari queat. B. Domin. Struv.

Struv. *Ex. 23. th. 36.* Imo de fructibus venditori in emtorem datur judicium, *quia nihil penes eum reſidere oportet ex re, in qua fefellit fidem. l. 5. ff. de L. Commiſſ.* Famoſiſſimum quoque eſt *pactum de retrahendo* ſeu *revocando rem emtam*, atque imprimis *Retractus gentilitius* notabilis eſt. Re enim contra pactum adjectum alienata, emtor ſibi imputet, quod ejusmodi jure affectam rem emerit, nec diligentius in conditionem ejus inquiſiverit. Et cum in rem ſcripta ſit actio, quæ eo nomine competit, datur adverſus quemcunque poſſeſſorem, uti teſtimonium Nobiliſſ. Dn. Scab. Lipſ. hac de re affert Sutor. *de Retract. jure c. 8. §. 128. verb.:* Dieſe Klage / ob ſie wohl gegen die Perſon des Käuffers gehet / ſo iſt ſie doch auch auf das Guth gerichtet / und alſo nicht mere perſonalis, ſed in rem ſcripta. Conf. Gail. 2. *obſ. 19. n. 6.* Reinking. *de Retract. quaſt.* 7. Interim tamen nec venditor poteſt petere uſuras, adverſus quem ex pacto ſuo judicatum eſt, licet pretium à retrahente exigere poſſit; quia ſibi imputare debet, quod pactum non recte obſervaverit. Mev. *5. dec. 76. n. 8.* Retractus autem fieri debet *intra annum & diem;* Gail. 2. *Obſerv. 19.* Berl. *p. 2. concl. 40.* Quod tamen tempus non currit contra impuberem vel minorem, quia eis nihil poteſt imputari, quin potius comparantur ignorantibus, contra quos non currit præſcriptio illa. Sutor. *c. 11. §. 197.* Tempore elapſo, retrahens poſtea non auditur. *l. f. C. de quadr. præſcript.* Sibi enim imputet, quod non tempeſtive uſus fuerit ſuo jure, quin potius præſumitur juri ſuo renunciaſſe. *l. 7. C. de cenſib.* Si tamen & huic culpa imputari nequeat, quod forſan juſte ignoraverit retractus elapſum tempus, excuſatur. Sutor. §. *198.* Ut ergo contrahentibus nulla poſſit imputari culpa, deberrem ven-

Digitized by Google

diturus denunciare propoſitum ſuum conſangvineis, ut ſic ſcienter juſto tempore poſſint, ſi velint, retrahere. Tempus enim non niſi ſcientibus currit, alioquin quocunque tempore retrahere poſſunt, uti rurſus hanc in rem adducit præjudicium Lipſ. Id. §. 208.: Da nun euch die Denunciation nicht geſchehen / noch auch der Tenor Contractus wiſſend geweſen / ſo habet ihr an benennten Gütern euch des Einſtandes nochmahls zu gebrauchen. Variat tamen tempus hoc pro diverſitate materiæ. In redemtione enim ſubſelliorum in Eccleſia tempus hoc coarctatum eſt, & menſtruum præfinitum, intra quod heres redimendi facultatem habet, quod tempus tamen non nocebit ignoranti, cum ſupina illa negligentia non petentis, ob quam præſcriptio longiſſimi temporis principaliter fuit introducta, in tam brevi unius anni, nedum menſis ſpatio, jure ſuo ob facti ignorantiam non utenti imputari nequeat. Id. *c. l.* §. 211. Sin autem facta denunciatione cognati conſangvinei dicant, ſe emere nolle, retractui renunciatum cenſetur: Carpzov. *2.32.3.* adeo ut ne quidem ex obtentu ignoratæ contractus unius vel alterius circumſtautiæ ad retractum poſtea redire poſſint. Mev. *2. dec. 253.* Imputare enim ſibi ſuæque facilitati debet, quod non prius cuncta exploraverit, ſed renunciationem præcipitaverit. Id. *cit. l. n.* 7.

§. XXXIX. *Locatio conductio* cum non *verbis*, ſed *conſenſu*; contrahatur, juxta Paul. *in l. 1. ff. locat.* ideo etiam eam hic examinaturi, ſtatim in principio illud monemus, quod conductor quidem non præſtet caſum fortuitum: præſtet autem, ſi ipſi culpa imputari poſſit. *l. 9.* §. *3. ff. eod.* Unde Imper. Anton. cum patre, cum grex eſſet abactus, quem quis conduxerat, ita reſcripſit: Si capros latro-

latrones citra tuam fraudem abegiſſe probari poteſt, locati judicio caſum præſtare non cogeris. *l. cit.* §. 4. An autem ob culpam ſervorum teneatur dominus? quæritur *in l. 11. pr. ff. eod.* & quidem reſpondet JCtus, ipſum *ob propriam culpam teneri;* ſi nim. culpa ei imputari poſſit in eis inducendis, quod tales habuerit vel ſuos vel hoſpites. Præterea conductori culpa imputari poteſt, quoties contra pacta locationi adiecta venit. Quamvis enim caſus fortuitus admiſit incendium, tenebitur is tamen, ſi ipſi imputari poteſt, quod ignem habuerit, veluti cum in locatione convenit: *ignem ne habeto. l. cit.* §. 1. Culpæ conductoris illud quoque annumeratur, *ſi propter inimicitias ejus vicinus damnum dederit*, ut ſi arbores exciderit, *l. 25.* §. *4. ff. eod.* conf. Menoch. *conſ. 27. n. 33.* maxime ſi cauſam inimicitiæ dederit, vel compoſitionem admittere noluerit. Franzk. *tit. locat. n. 140. ſeqq.* Heig. *p.* 1. *Q. 12. num. 69.* Secus eſt, ſi nulla culpa ei poſſit imputari, ut ſi ſine facto ullo ejus inimicitia orta. Franzk. *ibid.* nemo enim poteſt cavere inimicitias. Brunn. *ad l. cit. 25. n. 13.* conf. *l. 41. ff. locat.* de qua jam ſupra §. *30. h. c.* quædam notavimus, quod ſcil. de damno ab alio dato nemo poſſit conveniri, niſi quid ſit, quod cuidam poſſit imputari. Pertinet huc quoque remiſſio penſionis, quando ſcil. conductori nihil imputari poteſt, (culpa vero abeſt, ſi omnia facta, quæ diligentiſſimus quisque obſervaturus fuiſſet. *l. 25.* §. *pen. ff. eod.*) & tamen caſus acciderit, hunc enim merito dominus ferre debet: ut ſi edaci locuſtarum pernicie ſterilitatis vitium interceſſerit. *l. 18. C. locat.* vel ſi qua lue tempeſtatis, vel alio cœli vitio damna acciderit *l. 8. C. eod.* Quod ſi autem hoc in caſu quoque culpa quædam conductori imputari poſſit, non re-

 mittitur

Digitized by Google

mittitur penſio, ut exemplum habemus *in l. 25. §. 13. eod.* ſi ſcil. intempeſtiva cultura deterior fundus factus, ſi villarum curam non egit, ut eas incorruptas haberet. Conſ. B. Dn. Struv. *Ex. 24. th. 17.* Sicuti autem certis caſibus locatori competit jus expellendi conductorem, qua de re B. Dn. Struv, *Ex. 24. th. 12.* ita quoque conductor certis caſibus emigrandi facultatem habet, modo juſte adſint cauſæ: alioquin enim nihilominus mercedem ſolvere tenetur. Exemplum eſt in *l. 27. §. 1. ff. locat.* ubi docet JCtus, eum, qui timoris cauſa emigravit, ſi quidem juſta non fuit, nihilominus debere mercedem. Vanum enim timorem culpæ annumerari, ſupra dictum *c. 2. §. ult. n. 7.* Quodſi autem juſta adfuerit cauſa, ut ſi domus ſpectris infeſtetur, Wiſſenb. *hic th. 18.* & tamen domus habitatione conductor æque uſus fuit, tunc præſtare mercedem debet. *l. 28. ff. locat.* Rationem ſubjungit hanc Gothofr. *in not. ad illam l. lit. r.* Sibi ſcil. imputare debet, quod non emigraverit, & quod uſus fuerit ædibus, à quibus emigrare propter juſtum metum potuit. Alia prorſus eſt ratio conductoris artificis: Cum enim Imperitia culpæ annumeretur, §. 9. *c. 2.* non excuſatur, quod imperitia peccavit, ut ſi quis vitulos paſcendos, vel ſarciendum quid poliendumve conduxit. *l. 9. §. 5. ff. eod.*

§. XL. *Societatem* coire ſolemus aut *totorum bonorum*, aut *unius negotiationis. pr. J. de ſoc.* In *priori ſocietate, univerſali* ſcil. quæ unus vel alter ſocius filiæ in dotem vel filio in ſtudia ſuppeditat, ſocietati iſti imputantur. *l. 73. ff. pro ſoc.* nec poteſt iſta repetere finita ſocietate alter ſocius; atque hoc obtinet, etiamſi unus ille tantum habuerit liberos; Imputent enim ſibi reli-

qui,

Digitized by Google

qui, quod talem ſocietatem inierint, vel in ea perſtiterint. B. Dn. Struv. *Ex. 22. th. 27. in f.* De *poſteriori, particulari* ſcil. eſt elegans *l. 72. ff. pro ſoc.* & *§. f. J. eod.* quod ſcil. ſocius ſocio tantum culpæ i. e. deſidiæ atque negligentiæ nomine teneatur, ut tamen culpa ad exactiſſimam diligentiam non ſit dirigenda: *qui enim parum diligentem ſocium ſibi aſſumit, de ſe queri, ſibique hoc imputare debet.* Quia autem ſocietas etiam inter eos valet, qui non ſunt æquis facultatibus, *l. 5. §. 1. ff. pro ſoc.* non inanis quæſtio eſt: *an uno pecuniam, altero operam tantum conferente, pecuniæ in ſocietatem collatæ damnum, quod caſu evenit, ſit commune?* Id quod recte negatur. Quilibet enim ejus rei, quam in ſocietatem contulit, damnum etiam ſentire debet, & imputet ſibi ſocius, quod alterum hac conditione admiſerit, ex quo ipſo tacitum quodammodo pactum induci poſſe videtur. Bachov. *Vol. 1. Diſp. 27. th. 9. lit. a.* Nec hic limitatio addenda, v. g. niſi pecunia ante operam præſtitam perierit, vel quia nihil imputari poteſt ſocio, vel quia periculum citra culpam alterius contingens ad dominum ſpectare debet. Id *c. l.* Conſ. B. Dn. Struv. *Ex. 22. th. 34.* Cæterum ſocium caſum fortuitum, cum nihil ei imputari poſſit, non præſtare, latius probat *l. 52. §. 2. ſeqq. eod.* Huc denique referenda ſunt, quæ ſupra jam diſſeruimus de *intempeſtiva renunciatione §. 13. c. 2.* quæ omnia hic non neceſſe ducimus repetere.

§. XLI. Denique *obligatio mandati* etiam conſenſu contrahentium conſiſtit, *l. 1. ff. mand.* ubi in ipſo negotio diligenter obſervandum, an etiam mandatum ſubſit; veluti ſi mandem tibi, ut pecunias potius in emtiones

tiones prædiorum colloces. Hujus enim generis mandatum *magis conſilium eſt*, & ob id non obligatorium, etiamſi non expediat ei, cui dabatur. Imputet enim ſibi, quod apud ſe non exploraverit, an ſibi expediret conſilium, quod tamen ei liberum fuit. *l. 2. ff. eod.* §. *6. J. eod.* Si in originem mandati inquiramus, præſto nobis eſſe poteſt *l. 1.* §. *4. ff. eod.*, ubi origo arceſſitur ex officio & amicitia, ut ſic mandatum ſuſcipere cuilibet liberum ſit. §. *3. J. eod.* Semel autem ſuſceptum conſummandum eſt, & exacta ſeu omni diligentia gerendum: nam nihil in alienorum negotiorum adminiſtratione neglectum ac declinatum culpa vacuum eſt. *l. 21. C. Mand.* Merito enim ei imputatur, quod ſe immiſcuerit ejusmodi negotiis. Hinc quod caſu fortuito accidit mandatario, non poteſt imputari mandanti, veluti quod ſpoliatus ſit à latronibus, aut naufragio res amiſerit, vel languore ſuo ſuorumque apprehenſus quædam erogaverit; Nam *hæc magis caſibus, quam mandato imputari oportet l. 26.* §. *6. ff. mand.* niſi ex ipſo mandato negotio emerſerit damnum, cujus rei exemplum eſt in *l. cit.* §. 7. ubi tamen rurſus additur reſtrictio, modo nulla culpa mandatario imputari poſſit. Quid porro ratione mandatarii hac in re ſit dicendum, facile dijudicari poteſt *ex* §. *11. c. 2.* Nam qui Procuratorem conſtituit, ſi minus diligenti parumque fideli ſe ſuaque committat, de ſe queri debet. *arg. l. 8.* §. *2. ff. de Inſtit. Act. l. 1.* §. *4. ff. de exercit. Act. l. 23. in f. de minor.* Diligenter præterea fines mandati ſunt cuſtodiendi. Nam qui exceſſit, aliud quid facere videtur, *l. 5. pr. ff. Mand.* & ſic non habet actionem contrariam mandati, nec etiam negotiorum geſtorum ratione ejus ſcil., quod ultra præfixos mandati

dati limites fecit. *l. 40. ff. eod.* Imputet ergo ſibi damnum, quod forte incurrit, qui aliud agit, quam mandatum eſt. B. Dn. Struv. *Ex. 22. th. 12.* Mandatum enim quatenus conſideratur ut implendum, ſtricti juris i. e. ſtrictæ interpretationis eſt. Ill. Dn. Lynck. *in anal. ad §. 11. J. de Mand.* Ad propoſitum articulum quoque multum facit *l. 29. pr. ff. mand.* ubi quæritur: *an ſi fidejuſſor conventus, cum ignoraret, non fuiſſe debitori numeratam pecuniam, ſolverit ex cauſa fidejuſſionis mandati judicio perſequi poſſit id, quod ſolverit?* Et ſi quidem *ſciens* prætermiſerit exceptionem doli vel non numer. pecun., videtur in dolo verſari, diſſoluta enim negligentia prope dolum eſt. conf. *l. 8. §. 8. ff. eod.* verb. *Si ſcientes & prudentes auxilium appellationis amiſerunt.* Et poſt pauca: *Si ſciverunt, incumbebat eis neceſſitas provocandi:* i. e. ſibi imputent, quod non provocaverint. Supra enim dictum, eum non vacare culpa, qui contra propriam ſcientiam venit. §. *6. c. præced.* Ubi vero ignoravit plane, *nihil eſt, quod ei imputetur*, adeoque actionem mandati habet, *cit. l. 29.* quo in loco plura hujus generis exempla ſubjiciuntur; Et denique potius culpa eſt imputanda reo promittendi, qui certiorare debuit fidejuſſorem ſuum, ne forte ignarus ſolvat debitum. Pari ratione nihil poteſt imputari fidejuſſori, ſi ſolverit, cum tamen debitor jam ſolviſſet: Ideoque habet mandati actionem. Nam ignoſcendum eſt ei, ſi non divinavit, debitorem ſolviſſe h. e. nihil ei poteſt imputari, cum non potuerit divinare, debitorem ſolviſſe. *c. l. 29. §. 2.* Alia exempla, quando mandatario nihil poteſt imputari, habet §. *10. J. de mand.* it *l. 29. cit. §. 4.* ubi dicitur, quod *fidejuſſori non imputetur, ſi omiſerit exceptiones, quæ ad apices juris ſpectant.* Conſ. *Goth. ad cit. l. lit. a.* De *renunciatio-*

ne

Digitized by Google

ne intempeſtiva hic nihil addemus, cum de ea ſupra *c. 2. §. 13.* jam ſit actum. Conſ. interim *l. 22. §. 11. ff. mand.*

§. XLII. Et hæc de veris contractibus dixiſſe ſufficiant. Jam ut de obligationibus, quæ quaſi ex contractu naſcuntur, pauca etiam dicamus, ratio inſtituti poſtulat. Primo adeſt NEGOTIORVM GESTIO. Videlicet, qui abſentis negotia gerere inchoavit, non impune peritura deferet, cum ſibi imputare debeat, quod alienis ſeſe immiſcuerit negotiis: ſuſcepiſſet enim ea fortaſſis alius, ſi is non cœpiſſet. Voluntatis namque eſt, ſuſcipere negotium, neceſſitatis autem conſummare. *l. 17. §. 3. ff. commod.* Ex eodem hoc principio, quod ſcil. culpa ſit, immiſcere ſe rei ad ſe non pertinenti, jam patet, cur negotiorum geſtor ad exactiſſimam teneatur diligentiam? *§. 1. J. de obl. qua quaſ. ex contr. naſc.* Ill. Dn. Lynck. *ad §. 2. J. eod.* nullaque cauſa eſt, cur levius obligetur, quam depoſitarius, qui ultro ſe depoſito obtulit. *l. 1. §. 35. ff. depoſ.* ibique Vinn. quin multo meliori ratione tenetur negotiorum geſtor ad culpam leviſſimam, quam mandatarius, cum mandanti imputari poſſit & objici, quod elegerit hominem negligentem, cui mandavit ſua negotia, maxime cum ſciverit, *l. 72. ff. pro ſoc.* aut etiam talem eſſe, non ignoraverit. *l. 19. ff. de R. J.* Ungepaur. *Ex. 12. Q. 8.* Negotium autem negat omne otium. Ill. Dn. Lynck. *in anal. ad §. ult. J. quib. mod. re contr. obl.* Imo etiam interdum caſum præſtare debet, veluti ſi novum negotium, quod non ſit ſolutus abſens facere, negotiorum geſtor nomine ejus gerat. *l. 11. ff. negot. geſt.* Qui enim negotia patrisfamil. inuſitata & inſolita aggreditur, in culpa eſt, & ſic ob præcedentem culpam etiam ei caſus imputatur. Brunn. *ad l. cit. 11. n. 1.* Proinde diligenter & caute negotia

Digitized by Google

tia ejusmodi ſunt gerenda: unde, ſi negotia aliena gerens indebitum exegerit, reſtituere domino cogitur: de eo, quod indebitum ſolvit, magis eſt, ut ſibi imputare debeat. *l. 23. ff. de Neg. geſt.* Imo & à ſe exigere debitum debet: hoc enim ſi neglexerit, *procul dubio id ei imputabitur.* Quanquam enim hoc ei imputari non poſſit, cur alios debitores non convenerit, quoniam conveniendi eos in judicio facultatem non habuit, qui nullam actionem intendere potuit: *tamen à ſemet ipſo cur non exegerit, ei imputabitur. l. 6. §. ult. ff. eod.*

§. XLIII. Sequitur ADMINISTRATIO TVTELÆ, ſed cum de hac ſupra *h. c.* §. 12. quædam jam dicta ſint, non opus erit, addere plura. Ideoque ſtatim progredimur ad *rei & hereditatis communionem.* De priori, ſcil. REI COMMVNIONE, notamus, ſi quidem res communis quid damni ceperit, idque culpa & negligentia alterius, alterum illud damnum per judicium comm. divid. poſſe reciperare: ut ſi communis ſervus, cum apud alterum eſſet, crus fregit in opere, quod ei imperavit, id quod tamen prudens & diligens paterfamil. imperaturus ſervo non fuerit. *l. 26. ff. comm. divid. l. pen. ff. de act. emt. vend.* Sic in re quidem communi nemo dominorum jure facere quicquam invito altero poteſt. Sed cum prohibere poterat, hoc prætermiſerit, ſibi imputet ſocius, quod non contradixerit; unde factum ut tollat, compellere eum non poteſt, quanquam de damno reſarciendo agere poſſit. *l. 28. ff. comm. div.* Barboſ. *ad l. 34. n. 170. ff. ſolut. matr.* Qui vero opus facienti conſentit, de damno poſtea conqueri nequit, cum id ſua culpa ſentiat. *l. cit.* Pari ratione in COMMVNIONE HEREDITATIS incuria coheredis

Digitized by Google

redis notatur, vid. *l. 25. §. 16. ff. eod.* Nam qui forſan ante alios adiit hereditatem & ſervitutes prædiis hereditariis debitas paſſus eſt non utendo amitti, culpæ nomine tenetur. *l. cit. 25. §. 18.* Sibi enim hanc negligentiam imputare debet, vid. §. *10. h. c.* Plane ſi pauciſſimi dies ad perficiendam longi temporis præſcriptionem ſuperfuerint, nihil erit, quod imputabitur heredi. *L. 16. in f. ff. de fund. total.* Gothofr. *in not. ad l. cit. 25. §. 18. lit. a.* Propterea non inepte quæritur: cum putarem, te coheredem meum eſſe, idque verum non eſſet, egi tecum famil. herciſc. judicio, & à judice invicem adjudicationes & condemnationes factæ ſunt, utrum condictio vel vindicatio invicem competat? Deciditur hæc quæſtio in *L. 36. ff. famil. herc.* quod is, qui ex aſſe heres eſt, non poſſit illud repetere: licet enim judicium famil. herciſc. non ſit, niſi inter heredes: ſufficit tamen ad impediendam repetitionem, quod quis ſe putet condemnatum. Scil. res judicata pro veritate habetur, etiam tunc, cum per errorem ambitioſe judicatum eſt. *l. 65. §. 2. ff. ad SCt. Trebell.* Heredi enim imputatur, quod ultro & temere ſe judicio famil. herc. cum coherede putativo commiſerit, nec prius diligentius in ejus conditionem inquiſiverit.

§. XLIV. De ADITIONE HEREDITATIS id unicum annotari meretur, quod jamjam *ex l. 19 ff. de R. J.* afferebamus. Videlicet, quoniam legatarii cum herede non contrahunt, ſed in eum incidunt, ideo eis imputari non poſſe, quod non diligentius in conditionem ejus inquiſiverint. Unde cum pupilli adeunt hereditatem ſine autoritate tutorum, non dici poteſt, ut in cæteris contractibus, actum hunc claudicare. Nam ibi contra-

hentibus

hentibus imputatur, quod contraxerint cum pupillo ſine autoritate tutorum. Hic vero creditoribus & legatariis nihil imputari poteſt, cum non eorum facto hæc veniat obligatio, ſed propter aditam à pupillo hereditatem. B. Dn. Struv. *Ex.31. th. 43. inf.*

§. XLV. Claudit materiam de quaſi contractibus CONDICTIO INDEBITI, & quidem quando ſciens quis ſe non debere, ſolvit, ceſſat repetitio. *l. 1.* §. 1. *ff. de condict. indeb.* unde & *in l. 28. ff. eod.* dicitur, quod judex, ſi male abſolverit, & abſolutus ſua ſponte ſolverit, repetere non poſſit. conſ. *l. 26.* §. *3. & l. 24. ff. eod.* Qui enim non ignorat conditionem rei, & tamen contrarium agit, de ſe queri debet, ſi damnum incurrit. vid. §. *6. c. 2.* Hinc denegatur repetitio, etiamſi quis ea mente dederit, ut repeteret, cum propoſitum in mente retentum nihil operetur. *l. 50. ff. eod.* ibique Gothofr. Qui ergo ignorans vel per errorem indebitum ſolvit, per hanc actionem condicere poteſt. *l.* 1. §. 1. *ff. eod.* niſi debitori quid imputari poſſit: veluti ſi in diem debitor ante diem ſolverit, tunc enim non poteſt repetere, *l. 10. ff. eod.* adeo ut nec interuſurium ob citiorem ſolutionem exigi poſſit. B. Dn. Struv. *Ex. 18. th. 39.* Sic qui ob rem non defenſam ſolvit, quamvis poſt ea defendere paratus eſt, non repetet, quod ſolvit. *l. 35. ff. eod.* Ignorantia autem quænam hic imputari poſſit, ex ſupra dictis *c. 2.* §. *3. ſeq.* facile colligi poteſt. Pertinet præterea huc *l. 11. ff. eod.* ubi non conceditur repetitio pecuniæ per imprudentiam ſolutæ. Si enim is, quocum de peculio actum eſt, per *imprudentiam* plus quam in peculio eſt ſolverit, repetere id non poteſt. Imprudentiam enim culpæ annumerari ſupra *c. 2.* §. *10.* dictum.

Digitized by Google

§. XLVI. Et tantum de Obligationibus, quæ ex *facto licito* fluunt. Succedunt illæ, quæ ex *facto illicito* reſultant, nempe ex DELICTIS, in quibus etiam aliquando culpa propria imputari poteſt, præſertim illis, in quos delictum commiſſum. Nam ipſi delinquentes potius in dolo ſunt, ſi modo excipias L. Aquil., ubi etiam culpa propria delictum committitur. Sed de ſingulis ſua ſede. Hic à delictis privatis cum Imper. noſtro, & quidem in ſpecie FVRTO, initium facimus. Præcipue quædam annotanda ſunt de actione furti, quæ dari dicitur ei, cujus interfuit, rem non ſurripi. *l. 10. ff. de furt.* Reſtringitur tamen hoc in *l. 14. §. 6. 10. 12. eod.*, ut ei ſaltim competat, cui imputari poteſt, quod ejus culpa illa res perierit. *l. cit. §. 6.* Quod ſi autem ei, cui res ſubrepta, præterea, quod res culpa ejus ſubrepta, quid imputari poſſit, non datur ei actio furti, ſed potius ipſe damnandus eſt *l. 53. §. 3. ff. de furt. An autem, qui rem furtivam imprudens emit, eaque poſtea ſubripiatur, habeat furti actionem?* quæritur: Negativa prævalere videtur, nam imprudentia culpæ annumeratur, juxta tradita *cap. præc.* §. *10.* & ſibi imputare debet, quod imprudens rem emerit. Jam autem negligentibus jura non ſubveniunt. *l. 16. ff. ex quib. cauſ. maj.* Verum hiſce non obſtantibus ei concedit actionem furti JCtus Ulp. in *l. 52. §. 10. ff. de furt.* quia ejus intereſt, rem non ſurripi, nec culpa hic tanta eſt, quanta eſt in caſibus jamjam adductis, ut propterea poſſit privari jure ſuo. Illud ſane certum eſt, ſi dominus rem furtivam, quamvis imprudens emit, vindicet, emtorem non poſſe pretium repetere, id enim incivile vocant Impp. Severus & Anton. *in l. 2. C. de furt.* Nec excuſabit iſtum, quod prætendat, ſe à tranſeunte & ignoto rem emiſſe:

l. 6.

Digitized by Google

l. 6. C. eod. cautius enim negotiari, *l. cit. 1.* nec ignarus eſſe debuiſſet ejus conditionis, quocum contrahebat. *l. 19. ff. de R. J.* conf. §. *37. h. c.* Si autem quis certum hominem emi mandaverit, & mandatarius illum, qui tamen fur erat, emerit, damnumque inde paſſus ſit, an mandans illud reſarcire teneatur? quæritur in *l. 61.* §. *5. ff. eod.* & reſpondet JCtus Africanus, utique in hoc negotio culpam ejus, cujus cauſa contrahitur, ipſi potius damnoſam eſſe debere. Nam certe mandantis culpa eſt, qui talem ſervum emi ſibi mandaverit. Eadem ratio eſſe dicitur in *l. cit. 61.* cum depoſito ſervo fure, cum imputari poſſit deponenti, quod non fuerit diligentior circa monendum, qualem ſervum deponeret: id quod tamen reſtringitur §. *ſubſeq.* 7. hoc ſcil. eſſe verum, ſi nulla culpa ei, qui mandatum vel depoſitum ſuſcepit, imputari poſſit. Nam ſi ipſe ultro ſervo cuſtodiam argenti forte, vel nummorum commiſerit, cum alioqui nihil unquam dominus tale quid feciſſet, aliter exiſtimandum eſt: Ita enim ſervo opportunitatem furti faciendi præbuiſſe videtur. Gothofr. *in not. ad h. l. lit. o.*

§. XLVII. Affine ſequitur delictum, VIS videlicet BONORVM RAPTORVM, quod, ſicut delictorum natura requirit, non aliter, quam dolo committitur. Cæterum ſi quis aliquo errore ductus rem ſuam eſſe exiſtimans, & imprudens juris eo animo rapuerit, quaſi domino liceret etiam per vim rem ſuam auferre à poſſeſſoribus, abſolvi quidem debet hactenus, hoc ſcil. judicio de vi bon. rapt. interim tamen aliter mulctabitur. *l. 2.* §. *18. Vi bon. rapt.* Vinn. *ad* §. *1. J. eod.* quamvis enim imprudentia aut ignorantia à delicto excuſet, Borcholt. *in Comment. ad cit.* §. *1.* non tamen propterea plane hic im-

Digitized by Google

munis ab imputatione culpæ propriæ. vid. §. *10. t. 1.* Ideoque raptor rei quidem ſuæ dominio cadit; ſin autem aliena res ſit, poſt reſtitutionem ejus etiam æſtimationem ejusdem rei præſtare debet, id quod hodie adhuc uſu fori obtinere, cum Brunnem. & Mev. *1. Deciſ. 95.* teſtatur Ill. Dn. Lynck. *in anal. ad* §. *1. J. de Vi bon. rapt.*

§. XLVIII. Pergimus cum Imp. ad tertium delictum privatum, DAMNVM ſcil. INIVRIA DATVM, id quod magnam partem huc ſpectare videtur, cum etiam culpa contrahatur, quod indicat *pr. J. de injur.* ubi varios ſignificatus injuriæ Imp. evolvit, & inter alia docet, injuriam in L. Aquil. accipi *pro culpa*, quam græci *ἀδίκημα* dicunt, & in *l. 5.* §. *1. ad L. Aquil.* diſerte habetur, injuriam hic accipi damnum culpa datum, etiam ab eo, qui nocere noluit. Varia autem hic occurrunt conſideranda, quæ nomine culpæ veniunt, & ubi culpa propria imputatur. De *imperitia* medici & artificis non adeo pauca adducuntur. *vid.* §. *6. & 7. J. de L. Aquil. l. 27.* §. *29. & 34. l. 30.* §. *3. ff. eod.* &c. ſed de hac jam ſupra §. *9. cap. 2*, conf. interim Dn. Thomaſ. *diſſ. de jure circa ſomn. & ſomnia c. 5.* §. *4. & ſeqq.* ubi notabilem caſum habet de medico, qui præſcripſerat ægrotanti Apium, pro quo tamen pharmacopœus legerat Opium, quod poſtea ægrotanti mortem procuravit; & hunc caſum per varias circumſtantias decidit, & docet, an & cuinam culpa imputari poſſit, ſubjungit etiam, quid ſentiendum, ſi factum id à miniſtris Pharmacopœi: Nimirum ſi fuerit dominus negligens in peritis miniſtris eligendis, ipſi culpa imputatur, quanquam ſupervenientem aliquam negligentiam aut occultam miniſtri imperitiam domino imputari non poſſe arbitretur. Porro multa afferuntur de *negligentia*,

cum quis illud negligit, quod à diligente provideri potuit. *l. 30. §. 3. l. 31. l. 27. §. 9. eod.* Nonnulla de *infirmitate. §. 8. J. ad L. Aquil. l. 8. §. 1. ff. eod.* Quædam de *ſævitia* præceptoris, *l. 6. ff. eod.* quo etiam referendus caſus de ſutore puero diſcenti, parum tamen bene facienti, forma calcei cervicem percutiente. *l. 5. §. ult. ff. eod.* Adjunguntur quædam de *luſu noxio, l. 10. ff. eod. §. 4. J. eod.* ubi de jaculatione, præſertim ſi locus ejusmodi luſis non ſit deſtinatus. Si autem damnum forte datum in loco, ubi ex conſuetudine ludebatur, de ſe queri debent transeuntes, ſi damnum incurrant, neque enim debuerunt per campum jaculatorium iter *intempeſtive* facere *l. 9. §. 4. in f. ff. eod.* Jocoſum exemplum, optime tamen rem declarans occurrit in *l. 11. pr. ff. eod.* ubi Mela ſcribit: ſi cum pila quidam luderent, vehementius quis pila percuſſa, in tonſoris manus eam dejecerit, & ſic ſervi, quem tonſor radebat, gula ſit præciſa adjecta cultello, quæritur: cuinam culpa imputari poſſit? Reſpondet JCtus, eſſe quod tonſori imputetur, ſi ibi totondit, ubi ex conſvetudine ludebatur, vel ubi tranſitus frequens erat. Quamvis, pergit, nec illud male dicatur, ſi in loco periculoſo ſellam habenti tonſori ſe quis commiſerit, ipſum de ſe queri debere. Porro proponuntur quædam de *incendio culpa exorto in l. 27. §. 9. eod.* maxime vero in *l. 30. §. 3. eod.* In medium præterea quædam producuntur de *ſomno*, qui imputatur ei, qui vigiliam in ſe ſuſcepit. *l. cit. 27.* ibique Goth. *in not. lit. f.* Quamvis enim quis dicere poſſet, rem humanam & naturalem eum eſſe paſſum; reſpondetur tamen, in eo culpam ei imputari debere, quod vel ignem extinguere vel ita munire debuiſſet, ne evagaretur. Et ſic hoc caſu ob omiſ-

ſionem

ſionem extinctionis culpa imputatur, unde concludunt JCti cordatio res, non recte ſtatuere eos, qui ſaltim L. Aquil. ad culpam commiſſionis reſtringunt. Brunn. *ad l. cit. n. 12.* Dn. Thomaſ. *diſſ. de jure circa ſomn. & ſomn. c. 5. §. 1.* Sed cum de his & ſimilibus ſupra paſſim, præſertim *c. 2.* fuſius jam ſit dictum, actum agere nolumus, nec omnia hic repetere, remittentes potius B. L. ad ea loca, quæ uberiora ſuppeditabunt.

§. XLIX. Denique ſuccedit INIVRIA, quæ non illata intelligitur niſi adſit animus injuriandi. *l. 3. §. 3. ff. de injur. l. 44. eod.* Hinc in ipſam injuriam vix cadit imputatio culpæ propriæ, uti nec injuriarum agere poteſt, cui culpa propria imputatur, & præterea animus injuriandi deeſt. Sic non poteſt venatores injuriarum convenire, cui culter venatorius, vulgo das Weidemeſſer/ eſt inflictus. Ill. Dn. Lynck. *in anal. ad ff. de injur. th. 54.* Quamvis enim hoc quodammodo injurioſum videri poſſet, revera tamen non eſt, quin potius alter in culpa eſt, quod non cautius fuerit verſatus. Quamvis autem injuriam paſſus actionem injuriarum habeat, illa tamen ei denegatur, quoties eam ſtatim ad animum ſuum non revocaverit, ſed neglexerit. *§. ult. J. de injur.* poſtea enim ex pœnitentia remiſſam injuriam recolere nequit, id quod ſibi imputare debet. Imo licet ſemel ad animum revocaverit, ſi tamen poſtea eam negligat, idque ex certis appareat argumentis, agere nequit. Richt. *Cent. Reg. jur. Reg. 2. n. 7.* Actus autem tales eſſe debent, ut ad remiſſionem præciſe dirigantur. Maſcard. *de probat. concl. 903. n. 25.* Præſcribitur porro actioni injuriarum prætoriæ anno. *l. 5. C. de injur.* Hinc qui intra illud tempus injuriam non vindicat, poſtmodum non auditur. Ut ergo nulla

culpa

culpa vindicanti injurias imputari poſſit, ſufficiet ſola citationis inſinuatio. Carpz. *4. 40. 60.* Species Injuriæ eſt quoque *famoſus libellus*, cuius autor non tantum graviſſime punitur, ſed etiam, qui eiusmodi famoſas chartulas reperit, & non ſtatim vel corrumpit, vel igni tradit, quaſi autor habetur. *l. un. C. de fam. libell.* ibique Brunn. Heig. *p. 2. quæſt. 31.* it. Claſen. *ad act. conſtit. crim. Carol. V. 110.* Imo ipſi Typographo, famoſas chartulas excudenti culpa imputatur. vid. ord. polit. *de Anno 1577. tit. 35.* Von Buchdruckern / Schmähſchrifften / ſchmählichen Gemählden / Gedichten und Anſchlägen.

§. L. Abſolutis delictis *veris*, pauca etiam de obligationibus, quæ *quaſi* ex delictis naſcuntur, annectemus. Primum quaſi delictum conſtituit Imper. *ſi judex litem ſuam fecerit* h. e. quando male judicat, idque tam culpa propria, quam præcipue culpa & imperitia ſuorum aſſeſſorum, quorum ſententiam in judicando imprudenter eſt ſecutus. Ideoque aliquid peccaſſe dicitur, *quamvis per imprudentiam. pr. J. de obl. quæ quaſi ex del. naſc.* Quamvis autem his & ſimilibus caſibus non tam propria quam aliena culpa videatur imputari, & proinde judex reus quaſi delicti dicatur: attamen hic nemo tenetur citra factum proprium ſeu citra culpam propriam. Ill. Dn. Lynck. *in Anal. ad pr. J. d. obl. quæ ex del. naſc.*

§. LI. Aliud quaſi delictum eſt, quod committitur ab his, qui *ex ædibus ſine præmonitione quid dejecerunt, vel effuderunt* in eum locum, per quem iter vulgo fieri ſolet, ita ut alicui nocitum ſit. Datur enim tunc actio de effuſis vel dejectis, & tenetur inhabitator ad damnum reſarciendum, *l. 1. §. 4. ff. de his qui dejec. vel effud.* vel ſi conſtet, ex ea parte eſſe effuſum, quæ inquilino alicui eſt lo-

Digitized by Google

cata, inquilinus ſolus tenetur. *l. 5. §. 1. eod.* Molina *tr. 2. d. 697. n. 4.* Ratio hujus rei habetur in jam alleg. *l. 1. §. 4.* quod culpa penes inhabitatorem ſit; i. e. imputatur inhabitanti, quod non diligentius proſpexerit ut bonus paterfamil., ne quid tale à familia aliisve, quos recepit, dejiceretur vel effunderetur. B. Dn. Struv. *Ex. 41. th. 30. & 33.* Habitator quippe ſuorum culpam præſtare debet *l. 6. §. 2. eod.* Idem dicendum de his, qui aliquid poſitum aut ſuſpenſum habent, ſeu patiuntur, & non prohibent, quod tamen, ſi ceciderit, nocere poteſt. vid. *l. 5. §. 12. eod.*

§. LII. Ultimum quaſi delictum in Inſtit. eſt *Receptum*, quod quamvis & ipſum in aliqua *culpa imputativa*, ut loquitur B. Dn. Struv. *Ex. 8. th. 113.* conſiſtat; dum ſcil. alicui culpa eorum, quos adhibet, imputatur, vid. *l. 7. §. 1. ff. naut. caup. ſtab* propriæ tamen culpæ imputatio non minus ſubeſt, id quod indicat *l. f. §. 4. ff. eod.* ubi diſerte dicitur: Hac actione ſuo nomine exercitor tenetur, *culpæ* ſcil. *ſuæ*, i. e. propriæ, qui tales adhibuit, ſeu ut loquitur Imp. *in §. 3. J. de obl. quæ ex dol. naſc. aliquatenus culpæ reus eſt*, quod opera malorum hominum utatur, h. e. ut explicat Pomereſch. *ad §. cit.* Imputet ſibi exercitor, quod malorum hominum opera utatur, cum tamen explorare prius debuerit, cujus innocentiæ eſſent, quos adhibuit. *l. f. §. 4. Naut. caup. ſtab.* Et hanc actionem ex quaſi delictis culpam etiam leviſſimam imputativam continere, docet Pichard. *ad §. 3. J. de obl. quæ quaſ. ex del. naſc.* Ex hactenus dictis jam facile colligi poteſt, exercitorem non teneri hac actione, ſi à viatoribus vel vectoribus ejusmodi delictum ſit commiſſum, quia reſpectu horum culpa ei nulla imputari poteſt. B. Dn. Struv. *Ex. 8. th. 115.* Præterea ceſſat hæc actio, ſi imputari ei nil poteſt, quod

fit,

Digitized by Google

ſit, declinando à ſe culpam, v. g. ſi prædixerit, ut unusquisque vectorum res ſuas ſervet, inſimulque proteſtatus fuerit, ſe damnum non præſtiturum, & vectores prædictioni & proteſtationi conſenſerint. *l. 7. pr. ff. naut. caup. ſtab.* Quamvis enim tale factum hic ſubſit, quod non ſimpliciter dependet à voluntate ſola proteſtantis, & ſic proteſtatio inefficax videatur; cum tamen vectorum conſenſus ſive expreſſus, ſive tacitus intervenerit, vires inde capit. conſ. Brunn. *ad l. cit. 7. n. 3.* Stypman. *de jure marit. & naut. p. 4. c. 10. n. 10.* Ideoque ſi viator proteſtanti cauponi expreſſe contradixerit, & eum nihilominus admiſerit caupo, inefficax eſt proteſtatio. Loccen. *de jure marit. lib. 3. c. 7. n. 12.*

§. LIII. Sic ergo delicta privata brevibus percurrimus. Nihil vero alienum à ratione methodi nos commiſſuros exiſtimamus, quando poſt abſoluta delicta privata ſtatim ad *publica* tranſitum faciamus, & denique quid imputari poſſit circa actiones aut judicia, ultimo tractemus loco. Inter *publica* primum Imper. dedit locum *crimini læſæ Majeſtatis*, quod ſicut vel ipſum caput Imperii, vel ejus tranquillitatem nefariis inſidiis impugnat, ita etiam horrendis coërcetur pœnis, ita ut etiam illæ ad liberos protrahantur, uti patet ex *l. 5. C. ad L. Jul. Maj.* Hæc res autem anſam diſceptationi haud vulgari inter Dd. dedit, inveſtigantes, an non hæc pœna nimiam crudelitatem & iniquitatem ſapiat? Et ſi quidem hanc controverſiam ad ſuperius tradita *c. 1. §. 6.* expendamus, facile inclinabimus in affirmantem ſententiam. Sed ne prolixi ſimus in quæſtione decidenda, quæ proprie huc non ſpectat, ſed ſaltim occaſionaliter hic adjecta, breviter reſpondemus, pœnam non adeo injuſtam, ſed propterea tam rigoro-

Digitized by Google

ſam eſſe, ut parentes hoc quoque metu, ne ſcil. liberos, quos naturali amore proſequuntur, in eandem ſecum trahant ruinam, à delicto illo horrendo abſterrerentur. Menoch. *conſ. 99. n. 218.* Imo annotat Bachov. *ad Treutl. vol. 2. d. 32. th. 1. lit. K.*, qui late hac de pœna diſputat, quod, ut in nonnullis aliis, ita etiam hoc in delicto in exemplum aliorum à regula diſcedatur. Quamvis autem liberis ex lenitate Imperatoria vita ſit conceſſa, tamen eos ſemper infamia paterna comitatur; *l. tit. 5.* licet hæc magis *imputativa* ſit, quam *vera.* vid. §. *ult. c. 1.* Interim & hæc ficta Imputatio aliquos producit effectus, v. c. quoad præjudicium dignitatis & remotionem à muneribus publicis. Ill. Dn. Lynck. *in anal. ad tit. ff. ad L. Jul. Maj. th. 22.* Imo & hæc infamia etiam eos invadit, qui pro perduellionibus ejusmodi apud Imperatoriam Majeſtatem intervenire tentaverint, *l. 5.* §. *2. C. ad L. Jul. Maj.* id quod ſane iniquum non eſt. Sibi enim acceptum ferant hanc pœnam, qui à lege moniti abſtinere poterant, & valet hic illud: *manum de tabula.* Imo præſumuntur eo ipſo in contagionem ſceleris aſſumti. Ant. Matth. *t. 2. c. 3. n. 19.*

§. LIV. Porro publica lege & quidem *Julia*, *adulterium, ſtuprum aliique nefandi coitus* coercentur. Primo quod *ſtuprum* attinet, ſtuprator non excuſatur allegans, ſtupratam cauſam occaſionemque ſtupro dediſſe, ſibi enim imputet, quod commercium ſaltim aliquod cum ejusmodi libidinoſa fœmina habuerit. Farinac. *4. Crim. t. 16. qu. 147. n. 54.* Operam enim danti rei illicitæ, omnia imputantur, quæ ex illa ſequuntur. vid. ſupra §. *15. c. 2. inf.* Imo & in culpa eſt, qui periculoſo ſe ſcienter committit. §. *ult. c. 2. n. 12.* Quanquam autem accuſatio ſtupri ſit publica, denegatur ea tamen ei, qui ſtupratam ab alio

 poſtea

Digitized by Google

poſtea uxorem ducit. Ratio additur elegans in *l. 13. §. f. ad L. Jul. de adult. coërc. verb. ſero enim accuſat. mores, quos uxorem ducendo probavit.* Conſ. Brunn. *ad cit. l.* Longe alia ratio eſt in ſtupro violento, ubi requiritur, ut vim paſſa mulier omnibus viribus reſtiterit, inſimulque etiam clamorem ediderit. Carpz. *p. 2. pr. Crim. qu. 75. n. 29. 31. 56. & ſeqq.* unde quæ ſe violenter ſtupratam aſſerit, nec tamen clamavit, non auditur. Simile Lex Hebræa conſtituit: hæc enim puellæ de vi illata in agro vult credi, in urbe non item, quia clamore concurſum ciere potuit ac debuit. *Deuter. XXII. 24. ſeqq.* Hug. Grot. *L. 2. c. 1. §. 12. num. 4.*

§. LV. Circa adulterium pœnæ aggravantur, & inter alia marito jus accuſandi uxorem, & vice verſa competit: & cum maritus extra culpam non ſit, qui ne quidem ſuſpicionem delicti effugit; hinc maritis etiam ex ſuſpicione uxores accuſare permiſſum eſſe, notat Pontif. *in c. 4. X. de Adult. & ſtupr.* Quænam autem ſuſpiciones ſint urgentes, habet Menoch. *5. præſ. n. 26. ſeqq.* ubi etiam *n. 31.* urgentibus annumerat, quando ab adoleſcentibus domus mulieris frequentatur. Accuſatio autem non permiſſa eſt, ſi ab altera conjuge injuria illata jam ſit remiſſa, idque vel *tacite*, quando copula carnalis interceſſit. Carpz. *ibid. qu. 55. n. 42.* Ad jura enim remiſſa non datur regreſſus; ex cohabitatione autem reconciliatio tacita colligitur. Brunn. *ad l. 13. ff. ad L. Jul. de adult. coërc. n. ult.* vel *expreſſe*, ob interceſſionem pro conjuge, ſi velit eidem porro cohabitare. *Nov. 14. c. 10.* Tunc enim non tantum ſuo jure privatur, ſed etiam poſtea una cum relegato ex territorio migrare tenetur. Ill. Dn Lynck. *in anal. ad L. Jul. de adult. coërcend. th. 33.* Ergo nihil habet,

 quod

quod conqueratur, licet vel invita migrare teneatur, id enim ſibi imputare debet. Eſt vero certum tempus de jure Civ. eis datum, qui accuſare adulterium volunt: aliud tamen marito & patri; aliud extraneo. *l. 11. §. 5. ff. ad L. Jul. de ad. coërc. l. 4. §. 1. eod.* qui ſi concurrant, præfertur merito maritus, etiamſi jam extraneus vel pater prævenerint, niſi marito imputari poſſit, quod negligens fuerit, aut retardaverit accuſationem parare, *l. 2. §. 8. l. 4. §. 2. eod.* Sic nec poſtea audiendus eſt, qui negavit ſe acturum. *l. 15. §. 5. ff. eod.*

§. LVI. Lege *Cornelia homicidium* punitur, quod eſt vel *doloſum*, vel *culpoſum*, vel *caſuale*, vel *neceſſarium.* De culpoſo maxime hic agendum, de quo multa adduci poſſent, niſi paginæ diſputationis nimis excreſcerent. Interim tamen illud ſicco non plane præteribimus pede, imputari hoc in caſu culpam homicidæ variis ex cauſis, non tantum, quando in rebus illicitis, ſed etiam quando in licitis verſatur: ut quando peccat in circumſtantiis, excedendo modum, aut deditam diligentiam non adhibendo, &c. Deſſel. *in Erotem. jur. Can. L. 5. t. 12. q. 3.* Exemplum eſt in Pugilibus vel eorum diſcipulis, ſi ita temere vel imperite certent, ut alter læſus ex vulnere moriatur. Ejusmodi enim triſtis exitus vix datur, qui ſine omni culpa ſit, debebat enim quilibet ſuos actus ita dirigere, ut modum ſervet. Hinc nunquam talem à culpa abſolvendum judicat Brunn. *ad l. 4. ff. ad L. Cornel. de ſicar. n. 2.* ubi Carpz. refutat putantem, probandum prius eſſe, an in culpa fuerit occidens, nec ne? Quodſi autem tertius ex ejusmodi certamine aut luſu moriatur, ut ſi quis dum jaculis ludit, vel exercitatur, hominem tranſeuntem occiderit, tunc merito diſtinguitur, an culpa

Digitized by Google

pa certanti poſſit imputari, nec ne? priori caſu eſt homicidium culpoſum v. g. ſi in alio loco, quam qui ad exercitium eſt deſtinatus, vel ubi vulgo iter fieri ſolet, jaculis luſit. §. 4. *J. de L. Aquil.* Aliud exemplum habetur in *l. 7. ad L. Cornel. de Sicar.* Unde ille irregularis in jure Canon. fit, qui, etiamſi operam rei licitæ dederit, debitam tamen diligentiam ad vitandum homicidium non adhibuerit: Hac vero adhibita, nihil eſt, quod ei imputetur. Sed ſi illicitæ rei det operam, quæ apta eſt ad inferendam mortem, quamvis debitam diligentiam ad vitandum homicidium adhibuerit, in culpa nihilominus eſt, & de jure Can. fit irregularis. Exemplum ſufficiens occurrit in *c. 19. X. de homicid.* videlicet Monachus quidam mulierem à gutturis tumore curare tentaverat, nihilque prætermiſerat, quod ad tumorem removendum neceſſarium duxerat. Mulier autem, ſpreto mandato Monachi, tempore meſſis vento ſe expoſuit incaute & ſic diem obiit ſupremum. Reſpondit Pontif., de rigore juris huic Monacho ſacerdotalis ordinis executionem eſſe interdicendam: multum enim deliquit, officium alienum uſurpando, quod minime congruebat: ex æquitate autem miſericorditer agi cum eo debere, præſertim ſi omnem, quam debuit, diligentiam adhibere ſtuduit. Conf. Ill. Dn. Lynck. *in Anal. ad Deſſel. L. 5. t. 12. q. 5.* Ultimo tandem hic adducimus caſum notabilem, quem habet Mev. *1. Dec. 221.* ubi ab auriga per plateám currum ducente, puer captando ariſtas ſub currum recidens occiſus erat, ſtatuendum enim eſſe, refert, de ejus pœna ex ipſius culpa. Hæc vero cenſenda erat ex neglectu ejus, quod facere debuit. Jam autem nihil neglectum erat; verſatus erat in licitis, excla-

exclamaverat, ut puer ſecederet, imo etſi non exclamaſſet, nihil tamen ei potuiſſet imputari, qui ab omnibus videri & caveri potuit. *Jam autem obſervans, quæ obſervare debuit, extra culpam & periculum eſt, l. 44. ff. de damn. inf. & ſi quid eſt, quod facere non tenebatur, ex eo omiſſo injuſta eſt culpæ imputatio.*

§. LVII. De reliquis delictis publicis oppido pauca hic notanda occurrunt, cum dolus in illis prædominetur, nec adeo reſpectus culpæ habeatur. Ideoque ulterius hic non progrediemur, ſed quæ adhuc reſtant diſſerenda de imputatione culpæ propriæ circa judicialia, brevibus etiam annectamus.

§. LVIII. Perſonæ, quibus in judicialibus quid imputari poteſt, ſunt vel *judicantes*, vel *litigantes*. Ad judicantes ſpectat JVDEX, cui quid imputari poſſit, maxime ſi litem ſuam fecerit, dictum jam ſupra *c. 6. §. 51. Imputatur* præterea ei *culpa, ſi non totam proceſſus formam recte obſervaverit*, & ſubſtantialia ejus plane prætermiſerit. Tunc enim ſententia ipſius eſt nulla. Vant. *tr. de Nullit. tit. de mod. & ord. proc. n. 7. & 8. Imputatur* ei, *quando non remittit proceſſum ad ſuperiorem*, ſi nim. acta diverſum evincant, quam ipſe judex ex certa & invicta ſcientia novit. Perez. *in tit. C. de Off. Rect. prov.* Gutierez. *quaſt. canon. L. 2. q. 29. Imputatur ei, ſi moras nectit, & reus interim aufugiat*, vel corpus occiſi putredine corruptum inſpici accurate non poſſit. Jul. Clar. *L. 15. ſent. quaſt. 5. n. 1. Imputatur ei, ſi executionem faciendam in debitoris bona injuſte denegaverit*, & interim bona interierint. Berl. *p. 2. concl. 29. n. 49.* Idem eſt, ſi arreſtum ſine juſta cauſa denegaverit. Gail. *de Arreſt. c. 1. n. 10. Imputatur* porro ei, ſi *imperite acta mutila* aut *manca transmiſerit*. Ziegl. *dicaſt.*

concl.

Digitized by Google

concl. 45. §. 6. ſeqq. Alius eſt *judex delegatus*, cui *imputatur*, quando *mandati formam* ſibi à delegante præſcriptam *præciſe non obſervat.* Nam de rebus cauſis in ea haud expreſſis judicare nequit. *c. 22. X. de Reſcr. c. 33. X. de off. jud. del.* Pluribus de legatis *ſimpliciter* imputatur, quando *cognoſcunt, aut judicant uno abſente; vel etiam mortuo:* nihil enim agunt, unde reus impune ſententiæ non parere poteſt. Quod ſi autem plures ſint delegati ſub conditione: *ſi omnes adeſſe non poſſunt*, abſentibus imputatur abſentia, ulterius enim ſe immiſcere nequeunt. Deſſel. *in Erot. juris Can. l. c. q. 5. ibique* Ill. Dn. Lynck. *in Anal.*

§. LIX. Litigantes ſunt vel *principales* vel *minus principales.* Principales ſunt *actor & reus.* ACTORI imputatur, quod cum alioquin in interdictis duplicibus perſonam actoris ſuſtinere potuiſſet, tamen *negligens in provocando fuerit:* qui enim prior ad judicium provocat, actor dicitur. *l. 13. ff. de judic.* Deinde *culpa* ei *imputatur*, quando *negligens in inſtituendis actionibus eſt.* Quælibet enim actio habet ſuos præſcriptos limites temporales, intra quos ſi non inſtituatur actio, actor jure ſuo cadit, & reus habet exceptionem præſcriptionis. Et cum huic nil tale poſſit imputari, exceptiones non ita finiuntur. Actor enim in poteſtate habet, quando uti velit ſuo jure, is autem, quocum agitur, non habet poteſtatem, quando conveniatur. *l. 5. §. ult. ff. de dol. mal. & met. exc.* Conf. interim Ill. Dn. Stryck. *in expoſ. Synopt. mat. de præſcr. act.* ubi terminos cuique actioni præfixos longa ſerie recenſet. *Imputatur* porro ei, quando *cauſam ſuam imperito vel inhabili committit* advocato. vid. §. *11. c. 2.* unde & error advocati iis imputatur, qui intra triduum eum revocare neglexerint. *l. 1. C. de error. advocat.* Imo *imputatur* ei, quando

N negli-

negligentem & imperitum adhibuit procuratorem : vid. *l. 11. C. de procur.* ut ſi minorem adhibuit, id enim ipſi imputari debet, ait JCtus Paul. *in l. 23. ff. de Minor.* *Imputatur* præterea ei, ſi *ex pluribus* actionibus, quæ ei competebant, *difficillimam elegerit*, v. g. in qua onus probandi moleſtum occurrit. vid. §. 5. *J. quod cum eo, qui in al. poſt.* *Imputatur* quoque maxime moribus actori, *ſi errorem in inſtituta actione* commiſerit, & hunc velit corrigere; moribus enim plane iſtam actionem deſerere, & novam inſtituere debet, refuſis reo expenſis. Carpz. *in proc. t. 6. art. 2. n. 57.* *Imputatur* etiam ei, ſi ceſſet in lite perſequenda. *l. f. C. de præſcr. 30. ann.* B. Dn. Struv. *Ex. 43. th. 29.* *Imputatur* ei denique, *ſi non accurate proceſſus rationem habuerit*, ne ſcil. quid in illo negligatur: v. c. ſi exceptiones non recte declinaverit, terminos legales & fatalia non obſervaverit, litis conteſtationem non juſte interpoſuerit, in probatione per culpam propriam defecerit, juramentum, quod juſte præſtare potuiſſet, detrectaverit præſtare, judicis ſententia condemnatoria acquieverit, nec remediis ſuſpenſivis uſus fuerit, vel etiam actionem plane deſeruerit. &c.

§. LX. REO imputantur varia, quæ obſervare circa proceſſum debuiſſet. *Imputatur* ei, quando *litem non denunciat ſuo auctori*, qui defenſionem in ſe ſuſcipere debet. Re enim per judicis ſententiam evicta, poſtea non habet regreſſum adverſus auctorem ſuum. *l. 8. C. de Evict.* Imo ei *imputatur*, *ſi nondum condemnatus rem ultro reſtituit*, vel ea de re *tranſegit*, aut liti *renunciavit* : neque enim tunc regreſſus datur. *l. 17. C. eod.* *Autori* vero, tanquam correo, *imputatur*, quod *non comparuerit*, & emtorem defenderit. Nihilominus enim poſtea ad evictio-

nem

Digitized by Google

nem tenetur. Perez. *in C. de Evict. n. 35.* Joh. à Sande *Deciſ. Friſ. L. 1. t. 1. def. 5.* *Imputatur* præcipue reo quoad ipſum proceſſum, ſi non ſtatim *ante litem conteſtatam exceptiones* vel *dilatorias*, vel *peremtorias*, quæ ipſum litis ingreſſum impediunt, *oppoſuerit*, cum tamen forum vel actionem plane illis declinare potuiſſet. *Imputatur* ei, ſi, cum etiam contra actorem ei competeret actio, *reconventionem non ſtatim inſtituerit.* Berlich. *1. pract. concl. 21.* Schulz. *obſ. pract. 30. n. 14.* Præſtat enim reconventio fructus haud exiguos, actor quippe forum declinare, & jus domicilii allegare poteſt. *l. 22. ff. de Judic.* Umm. *diſp. 10. th. 7.* *Imputatur* porro ipſi *contumacia* etiam *præſumta*, quæ huc præcipue ſpectat. Carpz. *3. Reſp. 27. & 28.* Nicol. *proceſſ. 34. & 35.* Sua enim cuique contumacia, non alteri nocere debet. Mev. *5. dec. 190. n. 5.* qui & *n. 3. ibid.* notanter aſſerit, impedimentum ex contumacia imputandum eſſe merito contumaci, ne ipſi contumacia ſit lucroſa, & alteri oneroſa. *Imputatur* ei, quando *litis conteſtationem non recte interponit*, ſed eo ipſo onus probandi in ſe devolvit, quo alias ſuperſedere potuiſſet, ſimpliciter negative litem conteſtando: **Wann Er der Klage** ſimpliciter **nicht geſtåndig/in Gemůth und Meynung/ den Krieg Rechtens mit nein zu befeſtigen.** Imputatur ei, quando non exigit juramentum malitiæ vel calumniæ: ſi enim hoc actor præſtare detrectaſſet, jure ſuo cecidiſſet *l. 2. C. de jur. propt. calumn. c. f. X. eod.* *Imputatur*, ſi *abſolutoriam*, quæ pro actore eſt, *in rem judicatam tranſire paſſus ſit*, nec intra fatalia appellaverit, vel aliis remediis ſuſpenſivis uſus fuerit. Tunc enim ſententia jus facit inter litigantes, à qua recedere non licet, ſed ei ſine contradictione parendum. B. Dn. Struv. *Ex. 44. th. 11.*

Digitized by Google

Imputatur ei, ſi quidem appellaverit, fatalia autem vel in introducendo, vel in proſequendo non accurate obſervaverit. *Imputatur* ei, quando *executionem fieri paſſus eſt.* Imo licet hæc nulliter & contra ordinem juris morisque ſit peracta; haud tamen queri poteſt, cum ſibi imputare debeat, quod eam non anteverterit, ſed potius debitum non præſtando cauſam dederit. Non poteſt videlicet de injuria queri, cui, quod cauſam ei dederit, poteſt imputari. Mev. *8. dec. 291. n. 2.* Et denique toties etiam reo culpa imputatur, *quoties circa ipſum proceſſum quid neglexerit.* Nam ſecundum formam juris convenire oportet. *L. 1. C. ſi tutor vel cur. interv.*

§. LXI. Denique perſonæ minus principales ſunt *Advocati & Procuratores.* ADVOCATO imputatur *imperitia*, de qua jam ſupra *c. 2. §. 8.* Deinde, quando *diligentiori cura ſententiam condemnatoriam declinare potuiſſet*, ſed hoc per incuriam neglexerit, ei hoc imputatur. Carpz. *2. Reſp. 5. n. 2.* PROCURATORI imputatur, ſi perſonam ſuam *legitimare non poſſit*, vel quod omnino non habeat mandatum, vel quod ſufficienti non ſit inſtructus, neque admittitur de jure Saxonico: Ungeachtet ob er gleich cautionem de rato beſtellen/ und Verſicherung machen wollte/ daß der Principal ſeine des Vertreters Handelung genehm halten würde. Churf. S. Pr. Ord. *tit.* 7. §. Es ſoll. Imo judex ex officio eum rejicere tenetur, licet pars adverſa de illegitimitate non exceperit. Carpz. *t. 1. 26.* Denique ei *imputatur*, ſi *mandati fines exceſſerit*, ut & ſi ſibi aſſerit procurationem, nam hoc ipſo ſuſpectus eſt, quod ingerat ſuam operam invito. *l. 25. ff. de procur.*

§. LXII. Habes hic B. L., quæ hactenus pro exiguis

guis animi viribus in medium licuit proferre. Tuum jam erit, judicare; meum vero, ſumme contendere, ne nimis facile has meas primitias in ſiniſtram rapias partem, ſed potius æquo judicio imbecillitatem meam feras. Non enim diffiteor, mihi in hac Materia *de Imputatione culpæ propriæ* etiam quid imputari poſſe; veniam tamen de tua, B. L., ingenua animi æquitate mihi polliceor, ſi mecum memoria repeto ſententiam Imper. noſtri in §. *14. de confirm. ff. ad Sen.* penitus in nullo peccare, divinitatis magis quam mortalitatis eſſe. Id quod ſi fiet, dabitur mihi anſa, inſimulque calcar addetur, ut creſcentibus animi viribus hanc materiam fuſiſſimam & emendare, & dilatare, quam DEO interim ſit laus & gloria ſempiterna; in ejus nomine aggreſſi ſumus hunc laborem, in ejus nomine etiam ei imponimus finem.

FINIS.

INDEX RERUM PRAECIPUARUM DISSERTATIONIS DE IMPUTATIONE CULPAE PROPRIAE.

CAPUT I.

CONTINENS GENERALIA AD IMPUTATIONEM CULPAE PROPRIAE SPECTANTIA.

Ingreſſus. §. I. *p. 3*.

O *Ety-*

Digitized by Google

Etymologia vocis Imputationis. Homonymia. Synonymia. §. II. *p.* 4.
Culpa homonymia & ſynonymia. Convenientia doli cum culpa. §. III. *p.* 5.
Caſus non imputatur. §. IV. & V. *p.* 6.
Culpa propria non aliena imputatur. §. VI. *p.* 6.
Culpa propria non excludit facta aliena. §. VII. *p.* 7.
Differentia Imputationis à præſtatione Culpæ. §. VIII. *p.* 7.
Definitio hujus diſſertationis thematis. §. IX. *p.* 8.
Imputationis Genus. § X. *p.* 9.
Imputationis Diviſio. §. XI. *p.* 9.

CAPVT II.

EXHIBENS SPECIALIA ET QVIDEM FVNDAMENTA IMPVTATIONIS CVLPAE PROPRIAE.

Connexio. §. I. *p.* 10.
Culpa omiſſionis imputatur (1.) ex negligentia. §. II. *p.* 10. *ſq.*
(2.) Ex ignorantia juris. §. III. *p.* 12.
Vel (α) naturalis. Vel (β) Civilis. Non facti alieni. Error culpoſus. §. IV. *p.* 13. *ſeq.*
(3.) Ex Mora; Qua committitur vel à nobis ipſis, vel ab aliis. Effectus moræ. §. V. *p.* 14.
(4.) Ex ſcientia. §. VI. *p.* 16.
Culpa commiſſionis imputatur (1.) ex πολυπραγμοσύνῃ. §. VII. *pag.* 17.
(2.) Ex ſpontanea oblatione. §. VIII. *p.* 18.
(3.) Ex imperitia. Læſis per imperitiam non ſuccurritur. §. IX. *p.* 19. *ſeq.*
(4.) Ex Imprudentia. §. X. *p.* 20.
(5.) Ex commiſſione negotiorum imperito. §. XI. *p.* 21. *ſeq.*

Digitized by Google

(6.) *Ex abſentia culpabili.* §. XII. *p.* 23.
(7.) *Ex pœnitentia immatura.* §. XIII. *p.* 23. *ſeq.*
(8.) *Ex mala electione.* §. XIV. *p.* 24. *ſeq.*
(9.) *Ex luſu noxio.* §. XV. *p.* 25.
Imputatur etiam ex aliis variis fontibus. §. XVI. *p.* 26.

CAPVT III.
ALIAS PERCVRRIT CAVSAS.

Subjectum, & quidem inhabile eſt: Furioſus. Mente captus. Melancholicus. Ebrius. Dormiens. Infans. Impubes. Minor. Mulieres. Prodigus. §. I. *p.* 28. *ſqq.*
Objectum Imputationis Culpæ propriæ. (1.) *Jus perſonarum.* §. II. *p.* 30.
Ex quo (α) *ſtatus libertatis.* §. III. *p.* 31.
(β.) *Status Civitatis.* §. IV. *p.* 31.
(γ.) *Status familiæ, qui vel* (1.) *ex Nuptiis, ubi conſideratur Imputatio circa ſponſalia.* §. V. *p.* 32.
Circa ipſas nuptias. §. VI. *p.* 33.
Circa Dotem, & pacta dotalia. §. VII. *p.* 34.
Circa diſſolutionem matrimonii. §. VIII. *p.* 35.
Circa ſecundas nuptias. §. IX. p. 36.
(2.) *Ex adoptione.* §. X. p. 36.
(3.) *Ex Legitimatione.* §. XI. p. 36.
Contraria: Imputatio culpæ in petendo Tutores. In ſuſcipiendo tutelam. In adminiſtrando. Culpa magiſtratus circa tutelam. §. XII. p. 37. *ſeq.*
II. Jus in re: ubi (1.) *eſt Dominium. Imputatio culpæ circa venandi jus. Circa alluvionem. Circa inædificationem. Circa traditionem.* §. XIII. p. 38. *ſeq.*
Circa fructus reſtituendos. §. XIV. p. 40.
Imputatio circa uſucapionem ſeu præſcriptionem. Maxime lon-

longiſſimi temporis. Quod probatur exemplis. §. XV. pagina 41. *ſeq.*
Imputatio circa donationem à parte vel donantis, vel donatarii. Caſus de tacita acceptatione. §. XVI. p. 43. *ſeq.*
Imputatio circa ſervitutem tam realem, quam perſonalem. §. XVII. p. 45. *ſeq.*
Imputatio circa jus hereditarium : (1.) ex teſtamento à parte teſtatoris. §. XVIII. p. 46. *ſeq.*
(2.) *A parte heredis.* §. XIX. p. 48.
Circa ſubſtitutionem. §. XX. p. 49.
Circa legata. §. XXI. p. 50.
Circa L. Falcidiam. §. XXII. p. 52. *ſeq.*
Circa fideicommiſſa, tam particularia, §. XXIII. p. 53.
Quam univerſalia. §. XXIV. p. 53.
Circa ſucceſſionem ab inteſtato. §. XXV. p. 55.
III. Jus ad rem, ubi (1.) de pactis, §. XXVI. p. 56. *ſeq.*
(2.) *De contractibus, ubi conſideratur imputatio circa contractus (α) reales, nimirum (1.) circa mutuum. Ubi (1.) de SCto Maced.* §. XXVII. p. 58. 59.
(2.) *De mutuo Civitatis.* (3.) *De Reſtitutione mutui.* §. XXVIII. p. 60. & 61.
(4.) *De uſuris.* §. XXIX. p. 62.
Circa commodatum ; Ubi (1.) de ejus reſtitutione, §. XXX. p. 63 - 65.
(2.) *De affini ; precario.* §. XXXI. p. 65.
Circa depoſitum. §. XXXII. p. 65.
Circa contractum pignoratitium. §. XXXIII. p. 66.
Imputatio circa contractum verbalem, ubi (1.) de ſtipulatione in genere, §. XXXIV. p. 67.
(2.) *In ſpecie de fidejuſſione, & SCto Vellej. De beneficio diviſionis,* §. XXXV. p. 68. *ſeqq.*

(γ) *Li-*

(γ) *Literales.* §. XXXVI. p. 71.

(δ) *Conſenſuales ; ibi imputatio conſideratur (1) circa emtionem vendit. De qua tum in genere, tum in ſpecie de emtione ſpei. De læſione. De periculo rei venditæ.* §. XXXVII. p. 71. *ſeqq.*

De pactis ; ut (1.) *Lege commiſſoria.* (2.) *Retractu gentilitio.* §. XXXVIII. p. 74.

(2.) *Circa locationem conductionem ; Ubi præcipue de culpa conductoris.* §. XXXIX. p. 76.

(3.) *Circa ſocietatem.* §. XL. p. 78.

(4.) *Circa Mandatum.* §. XLI. p. 79. *ſeqq.*

Imputatio circa quaſi-contractus : (1.) *circa negotiorum geſtionem.* §. XLII. p. 82. *ſeq.*

(2.) *Circa adminiſtrationem tutelæ.* (3.) *Circa rei communionem.* (4.) *Circa hereditatis communionem.* §. XLIII. p. 83.

(5.) *Circa aditionem hereditatis.* §. XLIV. p. 84.

(6.) *Circa condictionem indebiti.* §. XLV. p. 85. *ſeq.*

Imputatio circa delicta privata. (1.) *Circa Furtum.* §. XLVI. p. 86. *ſeq.*

(2.) *Circa rapinam.* §. XLVII. p. 87.

(3.) *Circa damnum injuria datum.* §. XLVIII. p. 88. *ſeq.*

(4.) *Circa injuriam.* §. XLIX. p. 90. *ſeq.*

Imputatio circa quaſi-delicta : (1.) *Si judex litem ſuam fecerit.* §. L. p. 91. *ſeq.*

(2.) *De dejectis vel effuſis.* §. LI. p. 91.

(3.) *De recepto.* §. LII. p. 92. *ſeq.*

Imputatio culpæ circa judicia publica : (1.) *Circa crimen læſæ Majeſtatis.* §. LIII. p. 93.

(2.) *Circa ſtuprum.* §. LIV. p. 94.

Et adulterium. §. LV. p. 95. *ſeq.*

(3.) *Circa homicidium.* §. LVI. p. 96. *ſeqq.*

Imputatio culpæ propriæ circa judicialia; ubi conſideratur, quid imputari poſſit? (1.) *Judici.* §. LVIII. p. 98. *ſeq.*

(2.) *Actori.* §. LIX. p. 99. *ſeq.*

(3.) *Reo.* §. LX. p. 100. *ſeqq.* –

(4.) *Advocato.* (5) *Procuratori.* §. LXI. p. 102.

Concluſio. §. LXII. p. 102.

* *

Sors ſua quemque manet: quod quis *ſerit*, hoc metet Apte
Diſſeris & ſeris. Hinc *Sors* Tua Teque manet.

IOH. RABE,
Hannov. S. S. Theol. Stud.

* * * * * * * * *

Virtute atque opera, Mi Fautor, magna parabis,
Quod pulchre ſpecimen prædicat hocce Tuum;
Corde modo ſancto, virtutis currere callem,
Pergas. Sic certe fama perennis erit.

H. I. WAGEMANN,
Hann. Neoſtadienſis.

SOLI DEO GLORIA.

…TECA NAZ.
ROMA
…UO EMANUELE

Digitized by Google